DOCTRINÆ ANTIQUÆ

De Naturâ Animæ, & diverso ejus diversis Temporibus Statu

NOVA INSTAURATIO:

Quæ ad Exercitationes Summi Philosophi P. Gassendi Contra Aristoteleos, Pro Appendice;

Et ad Librum Th. ex Albijs, De Medio Animarum statu, Responsionis vice esse possit.

Ad humani Intellectûs Emancipationem, & à vernaculis Sophistarum illusionibus Cordatorum virorum Vindicationem.

Carolum de La Hay.

Per C.D.L.H. Gaderum, Phil: Pl. Diu. ac Hum. Juris Ctum & Medicinæ Doctorem.

Non est Populus Sapiens iste: Ideo non miserebitur ejus qui fecit illum. Isai, 27.11.

LONDINI

Excudebat *R. Norton*, & prostant venales ~~apud Johannem Martin de Jacobum Alestrey ad signum Campanæ in cœmeterio Divi Pauli~~

MDCLIIII.

apud Wilhelm. Well ad Insign.

XUM

XUM

VERITATI
ET VERÆ LVCI quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum.

ANimâ meâ desideravi te in nocte ignorantiæ publicæ quæ obruit terram : *& Spiritu meo in medio mei* atque in centro essentiæ meæ *quæram te manè* diei illius proximè venturæ quæ non habebit Occasum. Quid moraris surgere, O Sol Justitiæ! quem expectant hi qui in tenebris & in umbra mortis sedent? nonnè cernis *Omne caput languidum & omne cor mœrens?* Feceras Conversivam in se humanam Animam, sicut Circularem fecisti Mundum sensibilem, ut ipsa circa te Solem ac Centrum suum perpetuò converteretur, consonisque motibus Affectus suos, sicut Coelum Stellas suas moveret : & ecce effusa est sicut aqua quam totam absorbet terra, & tanquam cursus torrentis ac linea fluctuans longè

à se progressa est quo nescicbat. Nisi igitur *emittas manum tuam de excelso & liberes nos de aquis multis*, elongabimur perpetuò à te, ac præcipites *ibimus* in abyssum nihili *& non revertemur. Converte igitur nos* יחוה *ad te, & convertemur; innova dies nostros sicut ab initio*; ut respiciamus jugiter ad te, & contemplemur Coelos tuos, opera Digitorum tuorum, qui in Sacrarum Numerationum Denario Omnia absolverunt.

Pro-

Probo & Sapienti LECTORI.

NE mirere, Lector, Dialogismo exaratum opus quod ut plurimum ex Platonicâ officinâ procedit: nec quasi tadiosum existimes hoc scribendi genus, quoniam à plerisque nugis ac futilibus sermonibus farcitur. Nulla est scribendi ratio docendis rebus ac solvendis difficultatibus vel aptior vel compendiosior: siquidem nulla propius ad naturam humani Colloquij accedit. Post nimium longa inter Gallos & Anglos dissidia novum in ipso inclytæ Civitatis Londinensis gremio inter Britannum & Gallum contigit singulare certamen; verum longè sequioris naturæ, utpotè ex quo non nisi utilitas utrisque populis obvenire valeat; & inter certantes plus Sapientiæ acquisiturus sit qui victus fuerit. Dissidij subjectum

ctum fuit quod inveniri potest nobilissimum, Anima; (hoc est, tota hominis dignitas ac gloria) cuius curâ nimium diu solorum Sophistarum fidei creditâ, per cavillationes Scholasticas & vilem tractandi modum ipsa ad tantam sortis vilitatem & naturalis vigoris labefactationem deducta est, ut quotidiè quadam Paranæa specie correpta, de futurâ post exitum subsistentiâ suâ ambigat: quoniam se in hac vitâ nullatenus per se subsistentem esse, sed à materialibus organis omnem dignitatem ac virtutem suam mutuari à Sophistis accepit. Ex hoc a pravo affectu in peiora incidit symptomata, omnis sc. Religionis contemptum, & Dei Optimi Maximi Factoris sui incuriam ac ignorationem; utpotè, quem se nunquam visuram, nec ab eo pro reatibus suis arguendam vel propriæ existentiæ defectu, nimis argutando sibi persuasit. Hinc in Aulis Regum ac Pontificum sceleratissima vivendi ratio introducta, dum mixti corruptis libidine nimis Sophistæ nihil in futuro sæculo veltimendum vel sperandum privatim

tim inculcant ; publicè verò Deum, alij tam altè ſuſpiciendum, ut nullus ei ferè cultus adhibeatur, alij ut carnalem Principem adulationibus & Votorum exhibitionibus, ceremoniarum obſervationibus & corporalibus vexationibus, pretioſis muneribus, & ſtultis promiſſionibus devinciendum prædicant. Nihil igitur ab officio Medici alienum, ſed potiùs grande operæ precium me facturum, imo Æſculapij ac Eraſiſtrati ſolertiam ſuperaturum ſperavi, ſi Mundi hujus Reginam tam gravi mortis periculo liberarem, atque ad omnia tam Divini cultûs quam Civilis adminiſtrationis munia aptiorem redderem. Et quia corporei plerumque morbi ex humorum intemperie oriuntur, quæ reductionem excedentium qualitatum ad mediocritatem indicat; excedentia hinc inde ſuperſtitionis ac impietatis dogmata ad juſtum naturæ rerum ordinem & Veritatem, prodatâ mihi à Deo Sapientia redegi: ubique Philoſophum agens, nuſquam Religioni Præfectum. Quale quale eſt opus Cordatis viris & timentibus Deum

um offero: qui si coeptis faverint, in excelsam arborem frutex iste facilè excrescet; dignumque sanatâ Animâ Corpus Physicum ex veræ Philosophiæ visceribus brevi prodibit. Vale:

Et errores in libri excusione admissos, distinctionum omissionem & perversionem, allatarum authoritatum sedes in margine plerumque omissas, aliaque Typographiæ vitia benignè excusa.

TITULORUM OPERIS Series.

De Consilio Operis, & Inquirendæ veritatis modo Præfatio. Pag. 1

Evacuatio rationum quæ Subsistentiam per se Animæ humanæ inficiantur. Sect. 1. Pag. 12.

Seria mentis Reflectio super Peripateticismi illusiones. Sect. 2. pag. 53

In parte 2.

Evacuatio Authoritatum quæ propriam Animæ in corpore subsistentiam reprobant. Sect. 3. p. 82.

Authoritates quæ Animæ per se subsistentiam ante Corporis ingressum ostendunt. Sect. 4. p. 107.

In parte 3.

De Silentio Pythagorico. S. 5. p. 125

De

XUM

De Ordine rerum & Natura ſemobili. Sect. 6. p. 124.
De immortalis Animæ in Corpus terrenum deſcenſu. Sect. 7. p. 173
De Statu Immortalis Animæ poſt exceſſum è Corpore. Sect. 8. p. 198
Epilogus p. 224

TRACTATUS

DE Propriâ Hominis Cognitione, et Triplici Animæ Statu.

Pars I.

Interlocutores,
GADERUS, ÆBUTIUS.

De Consilio Operis, Præfatio.

Gaderus.

DIu est quod per plurimas Orbis Regiones hominem face in meridie accensâ quæro: Tune ille es, Æbuti, cum quo Veritatem, quæ

ſummum eſt Intellectûs Bonum, ſeriâ mentis indagine venari liceat.

Æbutius.

Vaſtum pelagus ingredi tentas, Gadere, procellis aſſiduis horrens, et multorum naufragijs infame; vellus aureum quæſiturus quod vix dum vllius ſoelicitati ceſſit.

Gaderus.

Nec horum neſcius ſum, nec proptera quærendi conſilium abjeci, quoniam via parum tritâ Bonum quæſitu difficile inveſtigare conſtituî.

Æbutius.

Quâ ſcil.

Gade.

Planâ et rectâ naturæ viâ longè ab omnibus Sophiſticarum argutiarum ſalebris et ſecundarum intentionum quibus doctrina Scholarum ſcatet, involutionibus, nec miſcendo ſermonem niſi cum verè cordato viro, cui tam pretioſum ſit veritatem in alieno ore agnoſcere quam proprio profiteri.

Æbut.

Æbut.

Adhibe igitur insuper Genium hominis tuo consentientem; aliàs n te immemorem dicam ejus quod ipse in Regiâ Salomonis Logicâ asseveratti; *ubi aduersis mancipata Genijs hominum ingenia confligere contigerit, varijs tantum contentionibus sese invicem consumptura sunt, quæ è contrà dum subsimilium Geniorum auspicijs sibi occurrerint, tam arcto necessitudinis vinculo statim devincti invenientur, ut absque alteratione ullâ dies noctesque suavibus dissertationibus transigant, et quasi legitimo conjugio sociati, foelici plerunque partu nova Scientiæ Theoremata in Sapientiæ incrementum edant.*

Gade.

Sane illud necesse est in venandis particularium veritatum conclusionibus; sed et indubium est præterea, ubi de primâ veritate agitur, mortales omnes rationes pollentes in eandem sententiam consensuros, ubi nec amor, nec odium, nec privata utilitas, nec vin-

cendi ambitus, a veritatis agnitione et proprij erroris confessione animum averterint. Ideoque cordatum virum primò quærendum dixi: quoniam viles animas utilitatem propriam et commodum veritati ac Sapientiæ nunquam non anteposituras, certum est: quod nobili exemplo docet magnus vir Cornelius Celsus, in maximo viro Hippocrate nostro, dicens: *Æsuturis se deceptum esse Hippocrates memoriæ prodidit, more scilicet magnorum virorum, et fiduciam magnarum rerum habentium. Nam levia ingenia, quia nihil habent, nihil sibi detrahunt. Magno ingenio multaque nihilominus habituro convenit etiam simplex veri erroris confessio, præcipueque in eo ministerio quod utilitatis causâ posteris traditur: ne qui decipiantur eâdem ratione qua quis ante deceptus est.*

De re med. lib. viij c. iiij.

Æbut.

Ego si non magnum ingenium attamen bonam saltem fidem ubique præstabo, etiamsi non expostulaveris. Sed quâ colloquium inibimus?

Gade.

Gade.

Quâ nisi ipso Sapientiæ principio, siquidem Principium in unaquâque re est causa cæterorum. Cum igitur homo non aliter nec amplius sit homo quam quâ et quantum intelligit: non videtur mihi dubitandum quin in summi illus Boni quod quærimus indagatione, Animæ cognitio primas teneat: siquidem haud ritè perspectâ et penitùs cognitâ ejus naturâ, diversoque diversis temporibus statu, frustrà quid homini præcavendum sit, quid sperandum, imò quid optandum, anxiè serutemur.

Æbut.

At enim adeò tritum est apud Scholasticos omnes Authores illud argumentum, ut vix quidquam addendum supereſſe videatur. Et nuper etiam novam de medio Animarum statu villicationem stylo minimè vulgari edidit Popularis noster Albanus.

Gade.

Imo nullum mihi videtur argumentum incuriosiùs vel insulsiùs tracta-

tum, quam illud De animâ : nec satis scio, an semel à tempore subversionis antiquæ Sapientiæ per Aristotelem, auditum sit in Scholis Peripateticis quidquam quod veram naturæ Animæ intelligentiam aperiat. Quòd verò ad opus sanè præclarum popularis tui spectat, equidem (ut nihil apud probum virum dissimulem) aliquid humani in eo opere mihi occurrisse videtur : et ideo sententiam meam de summâ ejus Peripateticis rationibus ac principijs addictione, si patiaris expromam : longè ab omni acerbitate, affectu, vel odio quorum causas procul habeo. Verùm etiam atque etiam rogo, ne quidpiam ex telis in Peripatetismum medio discursûs calore vibratis in caput ejus vel tuum, vel cujuspiam cordati bonarum artium professoris emissum putes ; sed in solam Aristotelicæ Logicæ larvam, absque veneno et invidiâ, tantùmque ad inducendam mortalium animis resipiscentiam, et tuendam veterum Sophorum gloriam quam

tot

tot calumnijs passim obruit, incidere patiaris.

Æbur.

Classicum cecinisti: cum Platonico nobis habenda res est: verum omnia tela tua nudo pectore excipiemus, nec nos unquam ab ullo vulneratos queremur. Unum tantum ante tam serij colloquij exordium quærere velim; quomodò tu, quem minùs aulicorum morum, sed Philosophicæ potus austeritatis assertorem plerunque observavi, Platonicæ doctrinæ mollitiem nunc affectes, quam totam amorum suavitatibus et verborum lenocinijs refertam adeò omnes prædicant, ut vel semel Platonis opera seriò evoluere neglexerim.

Gade.

Erroris publici morbo graviter laboras, Vir optime; faxit Deus ut ad curandam mentem tuam Platonica Sapientia mihi tam abundè sit, quam in curandis plerunque corporis morbis non fefellit Ars Apollinea.

Si nondum nosti, quod *Filij hominum* *Ps iiij v. iij.*

minum gloriam Sapientum ſicut et Sanctorum malignè convertunt in ignominiam, quoniam viles animæ *diligunt inania*, *et quærunt mendacium*; parum in Regij Pſaltis lectione progreſſus es. Miranda a Platone et ſectatoribus ejus de rebus æternis et ſummæ Sapientiæ rationibus ſub ſymbolis et figuris Antiquorum Sophorum more dicta ſunt, quæ in prophanum ſenſum et ridiculas fabulas a plebeijs ingenijs et pravis Sophiſtis detorta ſunt, quotidieq; detorquentur: verum nuſquam talibus dicterijs et reptantium viperarum ſibilis a Platonis lectione averſi ſunt cordati homines; quinimo confractis ſub pedibus beſtiarum illarum cervicibus fragrantiſſimos Sapientiæ flores et ſuaviſſimos fructus in Pythagoræ, Timæi, Platonis, Plotini, Procli hortis amœniſſimis collegerunt, dum illæ humani generis peſtes in Sophiſtarum lacunis et Ariſtotelis ſalebris veneno ac fungis paſcerentur. Cæterum ne me putes vel Platonis vel mortalis cujuſpiam ſententiæ

sententiæ amplius addictum quam quantum ratione ac veritate nitatur : diu enim est quod me in libertatem vindicavi, Christique solius ac Prophetarum ejus verba Oraculi vice habere cœpi. Nec aliâ ratione infensus Peripateticis factus sum, nisi quia illorum argutias maximo Christianæ Sapientiæ detrimento esse adverti ; ut brevi ostensurus sum. De cœtero libens fassurus sum, me in libro Albani tui plurima deprehendisse ; quæ haud facilè inter eruditos quarumcunque Sectarum in quas miserè distracta est Ecclesia Dei, invenire contigisset : animum generosum et sincerum, nihil gratiæ Rom. Pontificum, nihil authoritati Sophistarum, nihil spei Sacerdotiorum, nihil acerbitati Schismaticorum, et livori factiosorum tribuentem : sed apertè antiquæ doctrinæ veritates pro viribus instaurantem : summâque modestiâ ac singulari judicio nonnullorum Ecclesiæ procerum imprudentias et novorum Doctorum imperitiam

ingenuè carpentem. In quo veram esse sententiam probauit ejus ipsius quem non absque gravi causâ styli acumine perstrinxit: Vera Justitia compassionem habet, falsa indignationem. Equidem inter plurimos quos videre contigit Illustres viros in Aulâ, Castris ac Civilibus administrationibus educatos, quorum menti a primordijs insita radicitus seria rerum Mundi Idæa à ludicris Sophistarū argutijs et secundis intentionibus cerebrum absumi non patiebatur, neminem adverti qui non oppidò quereretur, quod rerum sacrarum Administrationi, et æternitatis mysterijs populo enuntiandis plerunque præficerentur illi qui nec domui suæ benè præesse nossent, nec vulgarium Naturæ effectuum causas vel sensui manifestas satis caperent. Verum inter tam justas horrendæ corruptelæ querelas hi fatiscenti Ecclesiæ disciplinæ succurrere vel nolebant vel nequibant: dum intereà illi quos aut Academiarum laureæ aut principum gratia

tia ad Ecclesiastici Regiminis habenas admoverat, vel in Pontificiæ purpuræ splendore omnem Divinitatem et sanctitatis scaturiginem summâ animi demissione venerabantur: vel caninâ rabie acti propter inexcusabiles morum corruptelas et futiles aliquas superstitiones lapsu temporis vero Dei cultui superinductas, Universam ferè antiquæ Religionis doctrinam polluto ore traducebant, fideique ac pietatis summam singuli in conventiculis suis invicem oppositis in maledicendo toti Orbi Christiano constituebant.

Æbut.

Absiste queri: grandius est malum quam quod humanâ ope curari valeat. Quid in lucubrationibus Albani nostri nauseam Genio tuo moverit, aveo scire.

Evacuatio

Evacuatio rationum quæ Subsistentiam per se Animæ humanæ inficiantur.

SECTIO I.

Gaderus.

EQuidem dum Albanus tuus in Demenso 1 et Dem. xvij villicationis suæ, *Animam prælo mortis* (tanquam quintam Corporis essentiam) *in Spiritum subsistentem expressam* depingit, mirari subit quod ne è principiorum Naturæ Sophisticæ numero excideret Aristotelica Sapientiæ privatio, Mortem *Naturalem actionem* vocare non dubitat, ipsique tantam efficaciam tribuere, *ut quod ex homine fieri natum est faciat, Ens Spiritale scilicet, et Animam immortalem.*

Certè talis loquendi modus nunquam arrisisset Hugoni de Sancto Victore qui super eodem argumento de Animâ, sic illam honorificè tractat : *In morte, inquit, vita nostra perit, dum discedit Anima, quia corpus ipsa destituit : vim autem suam non perdit, sed quod vivivificaverat*

it. de lib. ij. 9.

vtvificaverat hoc dimittit ; et quantum in se est mortem alterius facit, ipsa non recipit.

Ignoscas igitur oro, minùs subtili ingenio capere non satis valenti, quomodo ex mortali et æterno, indivisibili ac divisibili, spirituali ac corporeo, quæ sunt tam diversi generis, unum simpliciter ac propriè fiat : ita ut in machinâ corporis collocata Anima nullatenus per se subsistat, sed *talis ab initio producatur qualem materiæ qualitas exigit, nec possit nisi ex subjecti existentiâ agere, sed hoc tantum facere quod ex materiali subjecto fieri natum est.*

Magna mihi semper visa est Scholæ Peripateticæ pertinacia, quæ summâ Aristotelis veneratione (tanto viro non sine causâ quidem, sed sine modo exhibitâ) plerunque in absurditates et contradictiones evidentes impingere potius habet, quàm a Platone et antiquis Sapientiæ Magistris rectæ rationis usum mutuari. Quod in proposito de Animæ subjecto perspicuè apparet

paret, in quo cum omnes Peripatetici Christiani Animæ immortalitatem solidis rationibus demonstrare contenderint, advertere nusquam voluerunt, illa ipsa argumenta quæ in hunc finem congerunt, subsistentiam per se Animæ absolutam constituere. Ut prorsus quidem necesse est, siquidem perse subsistentia unicum est sempiternitatis ac incorruptibilitatis fundamentum. Cujus veritatis confessio Doctori illi insigni Thomæ Aquinati quasi incauto excidit; dum eandem Animæ immortalis subsistentiam in corpore humano, impugnaturus, pro summo inconveniente attulit, quod si brutorum anima in sentiendo se haberet ut agens, et corpus ut patiens, cum diversæ essent illæ operationes, quarum altera esset animæ propria, sequeretur, quod *ipsa haberet propriam subsistentiam; si autem propriam subsistentiam, ergo consequentia necessitate, incorruptibilitatem.*

Attamen postea verentes Peripatetici

patetici ne Christianæ fidei veritas illos ab antiquo Deo suo Aristotele nimis longè abduceret, eandem Animam materialis ac corruptibilis hujus corporis formam essentialem constituunt; (cum alterationis affirmatione, quæ sicut in naturam indivisibilem ac incorruptibilem cadere non potest, sic eam in quam cadit corruptibilem facere necesse est.) Quid enim sibi volunt illa Doctoris Aquinatis verba : *Non enim corpus et Anima sunt duæ substantiæ actu existentes in homine : sed ex eis FIT una substantia actu existens.* Sed quomodo fiet istud, vir sanctitate longè quam Sapientiâ præstantior? Sanè modum illius unionis tam grandem Doctorem minimè attingere miror, si quempiam olim excogitavit : si nullus in mentem cadere potuit, miror magis tam pium virum in Aristotelis gratiam errare voluisse.

Equidem anteà dixerat esse quendam contactûs modum quo Intellectualis

Intellectualis ſubſtantia corpori uniri poſſet, qui contractus virtutis appellatur : verum unionem ſecundum talem contactum factam non eſſe veram et ſimplicem unionem ſtatim profeſſus eſt, reuſq; acceptionis perſonarum in judicio, Platonem (ad gratificandum Ariſtoteli) damnavit, quod modum illum (qui revera unicus eſt) ſapienter excogitaſſet : nullâ condemnationis ratione additâ niſi Logico inconvenienti, quod hinc non emergeret unum ſimpliciter.

De alio vero modo ne verbum quidem dixit, niſi quod poſt plurima ſimilia inconvenientia Logica Platonis ſententiæ objecta (quæ nullatenus quidem Naturæ ordinem, ſed Ariſtotelicæ Philoſophiæ curſum ſanè plurimum turbant) rem ipſam quæ in controverſiâ eſt, petitione principij, pro modo quæſito poſuit ; docens animam corpori uniri ut propriam formam : quoniam quo aliquid fit de potentiâ ente actu ens, eſt forma et actus ipſius.

Et

Et quamvis postea quærat, Quomodo substantia intellectualis possit esse forma corporis? non aliam profert responsionem nisi quod *Si substantia intellectualis non unitur corpori ut motor mobili, secundum Platonem; nec continuatur ei solum per phantasmata, secundum Averroem; nec est præparatio in humanâ naturâ, secundum Alexandrum: neque complexio, secundum Empedoclem; neque corpus, vel sensus, vel imaginatio, secundum plerosq; antiquos: relinquitur quod sit unita corpori tanquam forma, secundum Aristotelem.* Quæ pulchra ratiocinatio tanti est momenti, ut ad illam subvertendam satis sit principium ac finem ejus permutare: dicendo: Si substantia intellectualis non unitur corpori ut forma materiæ, secundum Aristotelem; nec est continuatio per phantasmata, nec præparatio, nec complexio nec harmonia, nec &c. relinquitur quod sit unita corpori sicut motor mobili secundum Platonem. Et sic gradiendo per singulas aliorum sententias, omnes probabiles

les Sophisticâ methodo efficies. Suam tamen posteà sententiam manifestam reddere contendit aliâ hac probatione nullatenus è rei visceribus accersitâ: quod ut aliquid sit forma substantialis alicujus rei duo requiruntur; quod sit principium formale essendi, & quod talis forma & materia conveniant in uno esse. Quasi & esse formam & esse principium formale essendi sint duo termini significatione diversi; et hoc sit aliuddicere quã, ut aliquid sit forma, oportet quod sit forma: quasi inquam esse formam substantialem alicujus rei aliud sit quam convenire in uno esse cum materiâ ejusdem rei: quasi tandem quod logicè de formis è materiæ potentiâ eductis garritur, ad constituendam Physicè substantiam intellectualem materialis & terreni corporis formam sufficiat. meræ nugæ, petitiones principij & quæstiones ipsæ pro responsionibus obtrusæ. Quarum absurditatum satis conscius tantus Doctor, insolubilem difficultatem semel atque iterum antea allatam

allatam tertiò sibi obijrit, quod *substantia intellectualis esse suum materiæ corporali communicare non possit, ita ut sit unum simpliciter esse substantiarum illarum duarum: quoniam diversorum generum diversum esse modum essendi necesse est, & nobilioris substantiæ nobilius esse.* Quam tamen gravissimam instantiam ludicrè soluit, dicens quod *hoc convenienter obijceretur si eodem modo illud esse materiæ esset sicut esse substantiæ intellectualis. Nunc autem cùm esse materiæ sit ut recipientis & subjecti, esse verò intellectûs ut principij & secundum propriam naturæ congruentiam: nihil prohibere substantiam intellectualem esse corporis humani formam.* Videsne quomodo Logicis tantùm. i. verbosis distinctionibus insistat totum Sophisticæ doctrinæ commercium? Advertis quod loqui volunt isti homines, non docere? Certè majus tibi quam mihi ventriculi robur esse non diffiteor, si Anima tua non fatiscit super cibo isto pessimo.

Æbut.

Æbutius,

Toti igitur Aristotelis scholæ pro minùs excultâ unius ex sectatoribus ejus doctrinâ succensere æquum putas?

Gaderus.

Certè nolenti in hoc parvo opusculo immensa veprium scholæ vestræ dumeta congerere, ne tam tibi quam mihi gravia sint, & ambos obruant; sufficere videtur ad inchoati tractatûs rationem, illum produxisse, quem propter acumen ingenij, cogitationum puritatem, discursus uniformitatem, bonam fidem, pulchramque methodum, unum mihi omniû Peripateticorum vice in Theologicis esse non inficior; cujus quidem doctrinam ex illo prorsus libro eduxi, quem ultimum mortalium ejus operum, ac foetum Scholæ præstantissimum esse omnibus in confesso est, nec quicquam venerationis sanctimoniæ ejus defectu in illius doctrinâ redarguo, sed quia hominem, Monachum & Peripateticum fuisse agnosco. Nec Monachum noto propter

propter ullum in Monachos odium (ut cujus nulla mihi subest causa) sed quia facilius quam cæteros homines hoc genus authoritati quocunque modo quæsitæ cedere adverti, utpote cuivis superiorum suorum nutui cœcum præstare obsequium assuetos. Quod si quempiam alium inter Peripateticos insignem virum ipsi adjungi lubet, laudabo præcipuum fortè post Galenum Scholæ Medicæ magistrum Franciscum Vallesium; qui post tot eruditos in Aristotelem, Hippocratem & Galenum Commentarios, sic in Physicorum locorum Sacri Codicis interpretatione de Animâ loquitur: *Anima illa tota qua sentimus, movemur & intelligimus substantia est incorporea, æterna & separabilis, habet tamen mirabilem naturam præ alijs omnibus intelligentijs: quod cum sit substantia potens per se subsistere, potest etiam corpori temperato hærere ut forma, et per corporalia organa esse illi principium sentiendi et movendi; ita ut intelligat qua est separabilis, moveat*

ei

et sentiat quâ est forma. Verùm illa omnia bonus vir, tanquam ex tripode dicit, fidemque secutus Aristotelis, ne scilicet a vulgatâ Scholæ doctrinâ abscedat et in laqueos Hispanæ Inquisitionis incidat: (quâ etiam ratione doctè alibi probatam verborum efficaciam ipse cantatâ statim Palinodia refellit, nec sic tamen veritam censorum ferulam effugit) nullam autem prorsus sententiæ suæ probationem inducit, nisi tritum illud inconveniens Logicum quòd aliàs Anima intelligeret, non autem homo intelligeret. Quid verò novi commentus sit Albanus tuus super hoc eodem argumento, si non graveris, ipse edissere.

Æbut.

Equidem in brevi illo Peripatetismi specimine in quo Summulam Invidendi Operis De Immortalitate Animæ Summi viri Equitis Kenelmi Digbæi contraxit, mentem suam super hac quæstione his propemodum verbis expressit: *Sicut in quamo una pars innexa est*

alteri

alteri et habet subsistentis potentiam absque divisione, id est, proprietatem entis separati sine separatione : sic etiam anima potest eadem esse corpori sine confusione proprietatum. Et quoniam in substantiâ corporea agnoscitur vis quædam negativè indivisibilis prior divisibilitate, qualis est a divisibilitate ad indivisibilitatem negativam gradatio et connexio; altera similis mentem positivè indivisibilem substantiæ negativè indivisibili citra paradoxum unire mirâ sententiâ nata erit. Uniet autem secundum illas partes in quibus substantia primario et principaliter remanet; quæ sicut principaliter est in corde quod est quidam fons totius entis, sic specialiter in animalibus est in cerebro a quo derivatur sensus et motus in totum animal, quæ sunt illæ operationes a quibus denominatur animal. Cum itaque cæteræ actiones quæ non afficiunt cor et cerebrum non feriant usque ad intimam substantiam, sic neque cognitionem mentalem seu Animæ integritatem attingunt : quæ vero mutationes in

hac

hæc principia impingunt afficiunt etiam animam : et fit non eandem ordinationem partium corporearum, maxime ſpirituum et cordis ſequi in homine ex affectione cerebri quæ in alio animali ſequeretur ; ſed ex proprietate affectæ ſubſtantiæ conformem toti non ſoli corpori.

Gadr.

Certè quando ſublimem iſtum diſcurſum ſuper ipſam Naturæ rerum Idæam elevatum et Logicis entibus prorſus refertum inchoaſti, ſubijt animum recordatio moderni Venetorum Taciti, Pontificium quoddam Decretum ſuſpenſis ac ambiguis ubique clauſulis aſperum, ſententijs Judicum ſuper feudalibus controverſiis conceptis haud inſulſe comparantis. Jam profeſſus eram me non ſatis capere quomodo Albani tui verba ex villicationis ſuæ Demenſo xvij ſupra relata ad rationis normam collimarent : ſperabamque majus Intelligentiæ lumen ab ejus Phyſicâ affulſurum ad Animæ informantis naturam ex Principiorum ejus

penu

penu colligendam : maximè cum eam legitimi Syllogismi evidentiam in Præfatione operis illius promiserit, quam qui non admitterent, Desertores humanæ naturæ censendi forent; ita ut non aliter ad eos quam ad furiosos depugnandum esset? Nunc verò nihil audio nisi illationes factas A proprietate quantitatis ad id quod prorsus non est quantum, nec ullatenùs divisibile aut mensurabile: A nuda possibilitate ad actualem rei existentiam : A suppositione cujusdam vis negativè indivisibilis in corporibus divisibilitate prioris, ad alteram similem quæ mentem positivè indivisibilem uniat substantiæ negativè indivisibili. Hæc apud vos appellantur demonstrationes naturæ rerum? Hæccine sunt quæ qui non admittit Desertor humanæ naturæ censendus est?

Æbut.

Ne ultrà progredi opus sit, animadvertendum tibi est, nullam aliam unitatem in hominis substantiâ quærendam autumari Albanum

noſtrum, niſi ut Anima ſit comprehenſa per ſeſe in hominis definitione, et per conſequens eâdem ratione et indiſtinctis prædicatis conſtet.

G. de.

Per me ſanè licet illi et hoc nomen ſeu dictionem Animæ in definitione hominis, Logicâ inſerere, et indiſtinctis quantum voluerit prædicare conceptibus, ac qualiacunque rationis entia in Scholæ pulvere creare, dummodo in ſerijs de Animæ naturâ ſermonibus (ludicra enim eſt tota veſtra Logica, nec quicquam ponit in rebus) per vos liceat, divinam illam terreni corporis Incolam, qualem ab initio fecit Summus Naturæ Opifex contemplari, morbiſque ejus ex carneæ luis contagio contractis ſeriâ cauſarum inveſtigatione et opportunorū auxiliorum adhibitione mederi: dum vos otioſè de verbis diſputabitis, mentemque veſtram ſecundis intentionibus paſcetis, ſicut animalia Selenitica, quæ ſtomachum propria cerebri ſaliva paſcere dicuntur.

tur. Quis enim sanæ mentis homo non advertit Peripateticos vestros non aliâ ratione in ipsius Animæ naturâ discutiendâ tot se abstractis ab ipsa rerum naturâ conceptibus involuere, nisi quia realem Naturæ Idæam et veram speciem non apprehendunt. In quo hominibus à nativitate cæcis similes existunt, quos si de Luce ac colorum differentijs disputare inter se contingeret (quippe qui aliquando ab ijs qui vident, de Die et nocte, de Solis Eclipsi, de tenebrarum in gradiendo incommodis, plurima à parte rei existentia audierint, nec non persæpe pannos holosericos manibus contrectaverint, quorum alios purpureos, alios virides, candidos alios videri audierint, licet nullam in artificio et contexturâ differentiam tactu deprehenderint) Deus bone! quot et quales differentiarum illarum inter diem ac tenebras, atque inter colores existentium rationes ac causas comminiscerentur, quæ nusquam ad rerum

naturam accederent, nec cujuſpiam in communi vitâ uſûs forent: ſed tantum ad garriendum in tenebris ſubſidio eſſent.

Æbut.

Tu igitur ſi quid hic præſtantius habeas ediſſere.

Gade.

Equidē ſolis argumētis de immortalitate Animæ vulgò propoſitis, et apud veſtros ipſos tritis ſubſiſtentiam ejuſdem per ſe in humano corpore, per evidentes contradictiones ex informationis doctrinâ orientes facilè me oſtenſurum non dubito. Cum enim anima terreno hoc corpore plerunque ad operandum nullatenus egeat, multò minus ad exiſtendum et ſubſiſtendum egere extra dubium eſt. Si enim abſque corporeo inſtrumento operatur, habere illam in ſeſe neceſſe eſt agendi et operandi principium, quo agat per ſe et ex propriâ naturâ, non autem tanquam forma corporis. Forma enim cujuſlibet rei non operatur quidpiam per ſe, ſed tantum eſt principium operandi

ipſius

ipsius rei cujus est forma, seu corporis cujus est actus. Jam vero illud agendi et operandi principium ab ipso esse fluere quis dubitet, cum ex lumine naturæ pateat operationem sequi esse rei? Manet igitur, et constat quod habet in se Anima subsistendi sine corpore principium. Quod enim ipsa sine corporali organo per intellectum et voluntatem operetur, vulgaris et assidua docet experientia, dum quotidiè contingit hominem universalia entia mente concipere; nullâ habita ratione magnitudinis, figuræ, coloris, loci, temporis, situs, quibus illa individualiter existunt. Similiter dicendum, dum contrarium percipit intellectus eorum quæ sensibus patere videntur, ut stellas terra majores esse, quæ tanquam exiguæ faces in firmamento accensæ apparent; aut dum de rebus spiritualibus differit, de quibus cogitationem vel minimam in sensum cadere non est possibile; quippe cum sensualis omnis cognitio ab externis objectis procedat,

quorum nullum est incorporeum. Nec aliter de voluntate existimandum, quæ absque corporeo organo appetit, et desiderat plerunque illa, quæ cujusvis potentiæ materialis appetitui adversantur, ut mortem, jejunia, secessum ab objectis voluptatum, paupertatem, et contemptum.

Quæ omnia dum Animam absque corporeo instrumento agere docent, consequenter absque corporis ope subsistere aperte evincunt; frustraque Peripateticos nullum non movere lapidem adsuadendum simplicibus, corpus et animam non esse duas substantias actu existentes in homine, sed ex illis duabus unam fieri; hoc est, compositum ex divisibili ac indivisibili oriri: quod quomodo fiat nemo illorum explicuit, quia fieri non potuit. Ideoque sanctus vir jam supra non semel laudatus Thomas Aquinas non dissimulavit istam per se subsistentiam animæ absolutam, licet doctrinæ receptæ et ase ipso in scholis traditæ contrariam:

trariam? quoniam inter ipsas obscuriores Aristotelis ambages explicandas, semper bonam ubique fidem professus est. Quare in Parte 1 Sum. Theolog. q. lxxv. art. ij. fassus est cum universo Mundo ratione utente, quod nihil potest per se operari nisi quod per se subsistit: quoniam per se operari non est nisi entis in actu. Atqui Anima (ut jam vidimus, et nemo obloquitur) per se operatur, quis igitur nisi amens et rabie percitus eam per se subsistere negaturus sit? Et tamen uno eodemque ore docet universa Schola Peripatetica Animam in humano corpore propias operationes absque corporeis organis exercere: Operationem non esse nisi entis in actu, et Animam non esse ens in actu et per se subsistens in corpore, sed tantum ex Anima et corpore fieri unam substantiam actu existentem.

Quas contradictiones, cum nemo sensus communis compos possit libenter in aures admittere, sane

venerabilis senex tuus nobilem illam matronam Humanam Animam, Dei totius naturæ Opificis filiam inclytam minimè reverenter tractavit, dum illam ab hac tenebrarum servitute vindicijs secundum libertatem datis nihil prorsus ad pristini splendoris recuperationem in Regia Mundi Civitate, ubi de Patricià Gente censetur, tentare ausuram asserit, nisi elatum secum pristini carceris pædorem spirare, donec in illum iterum reclusa servitutis antiquæ admoneatur. In hoc quippe plurimùm virtutis suæ à corpore mutuantem ostendit eam quam intercepto ejus usu tam attonitam enervem ac paralyticam depingit: quæ eadem tamen est à quâ corpus tam vigens ac floridum est effectum, ut quasi mortalis Deus miranda in elementis per activorum passivis applicationem ipsa presente et movente operaretur, eademq; abeunte statim in vermes ac pulverem dissipatum est. Malim igitur grandi illi grandis magistri Origenis discipulo

cipulo Gregorio Thaumaturgo assentiri, super hoc ipso argumento dicenti: *Tam facilè dici potest non ens ipsi enti causam essendi præstare: et quod ex alio sic pendet, ut sine eo esse non possit, virtutem ac efficaciam ipsi causæ suæ tribuere.* Disput. de Anima.

Et cum Magno Cypriano ac omnibus Platonicis asserere; *Corpore sic uti Animam sicut faber malleo et incude: in eoque formare omnium turpitudinum idola, et fabricare qualibet quarumcunque voluptatum simulachra.* Aut cum Basilio Seleucio dicere: *Totum corpus nostrum instrumenti vicem obtinet, neque quicquam a se ipso facit. Per ipsum verò Anima velut Musicus quidam, aut virtutis sonos edit, aut improbitatis strepitus ferit.* Sed nec ipse Aristoteles vester tam pertinaciter asserit Animam esse hominis formam et Compositi partem, quin *Incertum esse* fateatur *an anima ita sit actus corporis, ut nauta navis.* Quod pessima fide quidam ejus enarratores nomine Platonis ab Aristotele adduci com-

miniſcuntur, nec ullatenus ab eo admitti: toto quippe illo loco de Platone nec verbum factum eſt, nec quicquam quæſitum, niſi, nunquid inveniantur quædam Animæ ſeparabiles, quibus non poſſit aptari definitio ab Ariſtotele fabricata, quod ſc. ſit *Actus primus corporis naturalis organici poteſtate vitam habentis*: et ſic non videatur à corpore ſeparabilis. Quod tamen non prohibere opinatur Ariſtoteles, *quoniam* inquit, *tales Animæ non ſunt corporis actus ſeu forma.* Vides conſtantiam doctrinæ hominis omnem antiquam Sapientiam redarguentis? Certè in præcedente ejuſdem argumenti libro non erubuit aſſerere humanam Animam non eſſe prorſus immortalem, et mentem quæ ſecundum Prudentiam dicitur non omnibus hominibus ineſſe.

Æbut.

Etſi nonnullam apparere in hac Ariſtotelis doctrina de Animâ contradictionem non inficier, certè nec magis tuta videtur Platonicorum

rum sententia. Quamvis enim Animâ existente in corpore sicut nauta in navi, nullatenus sequatur vulgò jactatum inconveniens, quod Animæ et Corporis nullæ essent communes operationes, ut in homine secundum esse uno, convenit agnoscere; quoniam scilicet esse possunt ijdem actus Animæ moventis, ut ejus à quo est motus, & corporis moti, ut ejus in quo est motus: Attamē nusquam impedit hæc Platonis solutio, quin alia semper remaneat operatio, movere, et alia, motum recipere. Sunt enim diversa duo Prædicamenta ab Aristotele nostro posita, Agere et Pati. Quæ cum ita sint, Si in sentiendo Anima se habeat ut agens, et corpus ut patiens, alia erit operatio animæ, et alia corporis; quod non tantum de Animâ humanâ dicere licebit, sed etiam de quavis animâ sensitivâ: quæ ipsa hoc modo habebit aliquam operationem propriam. Si propriam operationem, ergo et propriam subsistentiam, ac consequenter immortalitatem

talitatem. Quibus omnibus concessis nil obstabit quin ipsas brutorum Animas existimemus esse immortales.

Gade.

Ego, Domine mi, concedo totum. Quod enim in sensatione sit operatio Animæ ut moventis et agentis, & alia operatio corporis ut patientis et moti, satis agnovit Aristoteles, cum dixit *Animam sensitivam judicare et cognoscere entium aliquid.* Est enim dijudicare, agere, sicut species sensibiles recipere, est pati. Quod verò ad consequentiam inde illatam attinet, quod sc. Animæ brutorum sint immortales, certè quod mortalium Sapientissimo Salomoni, Divinoque Philosopho Platoni non improbabile visum est, nec mihi improbabile videtur. *Quis enim novit, inquit ille, si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, et spiritus jumentorum descendat subtus terram.*

. iij. De
ni. c. iiij.

cel. 3.

Æbut.

Æbut.

Quid magis faciant verba illa ad brutorum immortalitatem, quàm ad humanæ Animæ mortalitatem, non satis video.

Gade.

Longè pluris procul dubio. Siquidem de humanæ Animæ immortalitate nequaquam dubitasse existimandus est ille, qui eodem libro asseruit, quod *dum pulvis revertitur in terram, revertitur et Spiritus ad Elohim qui dedit illum,*

Æbut.

Quare igitur *Anima bestiarum in sanguine esse* dicitur Geneseos cap. IX.

Gade.

Urge magis: nec enim tantùm in sanguine esse dicitur, sed dicitur *sanguis ipsa anima* d. l. בנפשו דמו & Deuteron. 22. cap. ver. 23. הדם הוא בנפש. Verùm vim in illis verbis facere ad ostendendam Animæ quæ in brutis est mortalitatem, haud satis memoris hominis est sententiæ Celsi: *Scire leges*

Leg. xvij. D. De Legib. *leges non est verba earum tenere, sed vim ac potestatem.*

Si mortalis bestiarum anima censenda esset, ideo quia sanguis ipsius est anima ejus: & mortalis pariter censenda esset humana anima. De illâ enim Animâ loquuntur ibi sacra oracula quam prorsus mortalem à secundis causis fabricatam docet Timæus, dum ait: *Dij Cœlestes Principium Animæ immortale ab Æterno Opifice accipientes, Animam illam mortali corpore clausérunt, quod quasi vehiculum ei subdiderunt, atque in eo aliam animæ speciem mortalem fabricaverunt, quæ gravibus necessarijsque perturbationibus afficitur: quarum prima ac præcipua est voluptas, esca maxima mali; secunda Dolor, fuga impedimentumque boni.* Est igitur illa prorsus materialis atque in sanguinis temperamento consistens Anima quam prohibet Deus comedere; *ut bene sit tibi & filijs tuis post te*; ait Moseh: h. e. ut pravis bestiarum affectibus non inficiaris. Si enim plerumque videmus

mus egregiæ ſtirpis infantes cum vitioſo plebeiarum nutricum lacte tot prævorum affectuum ſemina ſugere, ut vix ac ne vix quidem ullâ poſt modum quantumuis accuratâ educatione eradicari poſſint, ac generoſo parentum genio mores reſtitui: quid de ſuſcepto ex ferino beſtiarum ſanguine alimento judicandum eſt, tam longè à ſingulari humani corporis temperie recedente. Vidi ego hominem placidi valdè animi propter delibatum felis cerebrum in furorem actum: nec ſemel adverti in hominibus urſorum carne plurimùm olim veſci aſſuetis, motus erumpere tàm ferinos, ut ipſa corporis externa facies animalis illius figuram æmularetur. Et quis quotidiè non videt ex vario cicurum animalium eſu corpora diverſimode alterari? Quanto magis igitur ex ſanguine ad aſſiduos cordis motus quovis momento fervente humanam temperiem alteratam iri judicandum eſt? unde non ſemel mirari ſubijt; publicum ſanguinis porcorum, anſerum,

ferum, aliarum bestiarum esum inter Christianos tolerari, quem in primo totius Ecclesiæ Christi Concilio ab Apostolis ipsis congregato, inter tam graves Legis Mosaicæ antiquationis & à circumcisione liberationis definitiones severè interdictum legimus.

Æbutius.

Aliud mihi supereſt dubium circa subsistentiam per se animæ solvendum. Si enim Anima intellectualis non unitur corpori nisi sicut motor mobili, unio illa non erit nisi per contactum, qui corporum tantùm est propriè, non rerum indivisibilium. Sed & admittatur contactus virtutis quo Anima moveat corpus, nunquam inde orietur unio quæ faciat hominem unum simpliciter. Et sic non erit homo Ens perse sed tantum per accidens. Ac præterea cum hominem oporteat (utpote sub animalium genere contentum) esse sensibilem ; si corpus & partes ejus non sunt de hominis essentia, effinges nobis hominem prorsus invisibilem,

bilem, utpote totum in invisibili animâ subsistentem.

Gaderus:

Certè contactum virtutis longe nobiliorem ac efficaciorem esse corporeo quovis contactu ratio docet. Hic enim cum fiat tantum secundum quantitatis extrema, aut secundum qualitatum & formæ similitudinem, contactus virtutis qui spiritualibus tantùm substantijs competit, fit ad intima, facitque substantiam tangentem esse intra id quod tangitur (ipsa quippe non habet corpoream extensionem) & agere in ipsum totum absque impedimento, movereque illum sine resistentiâ. Punctum enim quod pro circuli centro ponitur, in omnibus ideo lineis reperitur quæ undique ad circumferentiam ducuntur, quoniam nullius quidem lineæ proprium est. Et cùm punctum in circumferentiæ parte signatum alias circuli partes nusquam æquè respiciat, punctum è contrà in centro positum ambientem universum Circulum æquè respicit.

Simili

Simili igitur ferè modo singuli corporis particulis præsens fit tota Anima, neque dividitur aut distrahitur in partes varias, sed per vim individuam tangit corpus, nullatenùs verò per quantitativam extensionem.

Æbur.

Difficillimus captu modus contactûs.

Gade.

Imò longè captu facilior quam materiæ informatio à substantiâ indivisibili. Nec enim exemplo caret in rebus sensibilibus, ubi declamantis è suggesto vox unas singulas auditorum ad debitam distantiam consistentium aures simul tangit et occupat.

Æbur.

Sed interim hoc non impedit, quin homo sit ens per accidens.

Gade.

Quod tam nobilis unio impedire non possit quin garrulitas Peripateticorum hominem scommate Entis per accidens excipiat, nec ego curo, nec ipsa rerum natura curat:

curat: quippe cum nihil decedat hominis vel dignitati vel virtuti, ex eo quod vocaveris illum Ens per accidens: sicut nec quidquam perfectionis accessurum est, ex eo quod Ens per se nuncupaveris. Sunt n. talia entia secundæ intentiones quæ nihil in rerum naturâ ponunt, sed tantùm Sophistarum animas stulto in illis ineptè creandis labore consumunt. Quasi vita hominis non seriò, sed ad ludendum & illudendum tantum data sit: ut etiam nunc lusisti, quando hominem invisibilem sophisticâ conclusione ex animalitatis Categoriâ eduxisti. Non videtur ergò tibi satis visibilis in corpore Anima quæ omnes affectus suos et arcana consilia tam perspicuè in oculis legenda exhibet, ut quantumvis vafer ac perfrictæ frontis homo, nec blandientium verborum lenocinijs, nec fallaci quovis gestu mentem sic velare possit, quin accuratè inspicienti nuda in oculorum adyto appareat. undè appositè divinus divini Platonis discipulus Philo,

lo, *Pulsum animæ, oculos* esse dixit. Et admonuit Sapiens: *Quomodo resplendent in aquis vultus prospicientium sic manifesta sunt corda hominum prudentibus.* Certè nisi secundarum Scholæ intentionum pulvis cæliginem oculis mentis tuæ offunderet, non tantùm Animam, sed et Angelos ac Dæmones quâdam subtilis intuitûs specie in rerum humanarum administratione & vicissitudinum Mundanarum conflictu cerneres: nec deessent occasiones quibus ipsius Divinæ Majestatis radius quidam ante oculos seria meditantis tanquam fulgur extraordinariæ cujusdam lucis momento transiret, itaut sensibiliter perceptum quo tamen sensu perceperis non facilius diceres, quam sanctus Doctor Augustinus, qui expertus sic loquitur: *Qui sentiri potes, et videri non potes.* Sed et si satis scires ac penitus intelligeres quid est: *Homo in honore & non pernoctavit, comparatus est jumentis quæ intereunt.* Et illud: Nolite fieri sicut equus et mulus non

non intelligentes. Quot futiles Logicæ Sophisticæ distinctiones et Peripateticas laruas mente ejiceres, ut in ipso visibili rerum statu causam explorandi sumeres, quare dixerunt Antiqui Sapientes: *Non destituitur Rex in terrâ quin humilietur Potestas in Coelo?* Quare ferox et bellator hîc populus humanioris ac cultioris jugum excutere nequit; ibi è contrà barbaries, imperij; humanitas, servitutis instrumentum evadit? Quare sapientior Sophistis Maro sic Æneam suum docet?

Non tibi Tyndaridis facies invisa Lacænæ
Culpatusve Paris, verùm inclementia Divum
Has evertit opes sternitque à culmine Troiæ.

Et innumera arcana similia summi et in vitâ usus, et mentis illustrationis, ei qui altiores spiritus pectore fovet quam ut inter pædagogos totâ vitâ in Scholæ pulvere de entibus rationis garriat. Verùm nullatenùs pertinent hæc ad homines duræ cervicis, et in luto voluptatum, aut tenebris superstitionum,

tionum, aut Labyrin ho disputationum & cavillationum involutos.

Æbut.

Bellè procul dubio declamas, et in hoc egregiè Platonicum agis.

Gade.

Imò in hoc hominem ago, et cum Platonicis proximè ad rerum naturam accedo; ut de illis testatur Plutarchus: Peripatetici verò tui coaxantes ranas potius quã homines agunt, et propius ad seductionem accedunt, ut testatur D. Hieronymus.

Æbut.

Semel tamen adhuc sententiam tuam impugnare animus est. Cum n. omne movens seipsum ita se habeat, quod ab ipso pendet movere aut non movere, moveri aut non moveri; certè si non unitur anima corpori, nisi ut motor mobili; erit in potestate animæ separari a corpore cum voluerit, et in ipsum redire postea, quandiu illæsum et incorruptum perstiterit.

Quod

Quod aperte patet esse falsum.

Gade.

Falsum? Peripatetice. Imo non nisi ex summâ naturæ Animæ ignoratione inconveniens illud apud vos oritur. Sed non nisi ex magistri tui suggestione peccas. Est enim istud ipsius Aristotelis argumentum, si quodpiam in ejus operibus reperiatur, suæ sententiæ probandæ ineptissimum. Cum n. statim initio lib. 1. De An. Antiquorum sententias de anima, vel ex sensu vel ex motu, vel ex utroque sumptas suo invidiosissimo more retulisset; in cap. iij. sententiam eorum impugnare adortus qui ex motu animæ essentiam venabantur, dum adversus eos probare contendit animam non moveri, insulsè supponit absurdam esse propositionem quam justo syllogismo evidenter probat. *Quia enim*, inquit, *Anima videtur movere corpus, motioni consentaneum est ipsam illud iisdem motibus movere quibus et ipsa movetur. Quod si ita est*, inquit,

inquit, *etiam conversione propositionis factâ verè dicetur ; quo motâ corpus movetur ipsam quoq; moveri. Atqui corpus latione movetur. Ergo et Anima perinde atque corpus ipso hoc motu vel tota vel secundum partes transferetur. Si verò fieri hoc potest, fieri etiam poterit ut egressa ingrediatur rursus.* Cernis egregium argumentandi modum Aristotelis, ad probandum Animam esse immobilem.

Æbut.

Sed addit, consequentiam illam esse absurdam : quare oportet absurdum etiam esse illud unde sequitur.

Gade.

Absurda videtur ipsi, non autem ijs qui absque cavillandi animo rerum naturam perpendunt. Nec majus experientiæ talentum hic ostentat quam judicij statim postea, dum inde vult indistinctè inferre quod Animalia mortua possunt igitur resurgere. Quasi mors sit aliud quam destructio complexionis et compaginis corporis ad Animam

mam hoſpitandam idoneæ : cujus temperie & harmoniâ deſtructâ, tam neceſſe eſt animæ per auras vagari, quam inquilinum cujus domus ſubverſa eſt, in Plateâ verſari, niſi aliud hoſpitium nactus ſit. Qui ſicut ſtante ædificio poteſt exire et redire, ſic Anima integro et illibato corporis ſtatu urgentibus potenter affectibus poteſt. Experientia enim quotidiana teſtatur, Animam ubi per ſummam affectus vehementiam ad objectum longè diſſitum fertur, ita ut malit eſſe ubi amat, quam ubi animat (nec enim cenſendum eſt exeundi è corpore deſiderium velleitas illa quâ plerique abſque ullo rei diſſitæ affectu dicturi ſint cupere ſe experiundi cauſâ è corpore exire) vinculis quibus corpori alligatur haud gravatè ſeſe eximere ; vel nonnunquam abſque tali affectûs vehementiâ à potentiori ſpiritu rapi, & ad loca diſtantia transferri: quod Peripatetica Schola non male dicit, per imaginationis vim fieri; ſed quid ſit imaginatio illa, malè intelligit. Et quidem inter innume-

ra exempla extasis ex affectu, singulare est illud quod refertur à cordato & erudito viro Martino Del Rio, in mag. disq. de puero qui in vrbe Insulensi tam vehementi affectu matrem videndi exarsit, ut per extasim, illam multis inde miliaribus dissitam inviserit, ac post notabile temporis spatium ad se reversus, omnium quæ apud illam viderat probè memor ea amicis recensuerit, multaque apud parentem suam veræ præsentiæ signa dederit. Nosque puellam in amoenissimâ Galliæ orâ vidimus, quæ in Monialium consortio parvula educata, cum vindemiarum tempore ab Abatissâ, quadam die prohibita esset claustro egredi, ac per vineas domus vagari, (situm est in agris illud Cænobium) ne nimius uvarum esus valetudini officeret; intra horam coepit puellula in Matronæ oculis quasi somno torpere, quæ eodem tempore a vindemiatoribus & Cænobij famulitio visa est uvas intemperanter in vineâ deglutire, ac posteà aufugere. Quâ de re cum apud Dominâ famulæ quererentur, nec

nec sine stomacho scisciterentur, cur solam passa esset egredi: matrona ex adverso calumniæ eas insimulare orsa est, affirmans, puellam toto illo tempore se inspectante dormijsse; donec urgentibus confessionem rei famulabus, fassa est adolescentula visam se in vineam fuisse translatam, uvisque famem per aliquod tempus expleviſse. De raptu verò a potentiori spiritu, insignis est apud Ezechielem locus, cap. xxxvii. *Fuit* inquit, *super me manus Domini & eduxit me in spiritu, & requieſcere fecit me in medio campi.* Possuntque ad illos raptus referri modi quibus congregantur infanda illa Incantatorum conventicula, ad quæ plerumque Sagas in spiritu a Dæmone translatas, corpore absque sensu ac motu ullo domi remanente) variæ tessantur historiæ. Undè non mirum cæcam illam matronam quæ Magicis artibus Joelem Sopharis filium in Simiam (quoad figuram corporis organorumque corporeorum perversionem maximam) converterat, nec in conventiculis illis cæ-

cam apparuisse, nec puerum Simiam. Ut in celeberrimâ apud Æthiopes & Indos historia fusè refertur.

Undè apparet, & à vehementi quovis affectu, & à potentioris Spiritus virtute rapi Animam extra corpus hoc terrenum, atque ad loca remota transferri; unde iterum in corpus postliminio revertatur. verùm ex ijs omnibus nullatenus sequitur quod vult Aristoteles, Animam in corpus post mortem redire posse; siquidem per intemperiem, aut lethale vulnus, aut meatuum obstructionem, in morte soluta est corporea compages quæ idoneum animæ hospitium præstare fuit idonea. Quanquam etiam vermes in caseo, per novam coelementationem eosdem numero quos occiderat, atque atramento signaverat, resurrexisse observaverit Sanctorius Sanctorij, Comment. in Art. med. Galeni cap. 85. tex. 4. Et plerosque serpentes, maximè Amphisbænas ex laceratis partibus suis magneticâ catenâ paulatim in unum corpus coactis pristinam ejusdem corporis formam sectorum

instaurare & resurgere, quotidianâ experientiâ rusticis ipsis compertum sit. Verum de animâ insectorum vel etiam perfectorum animantium hic non agimus, nec modum etiam quo humana anima corpore absque vitæ detrimento excedat, præsentis instituti est explicare: licet nonnulla posteà in tertia parte hujus operis dicturi simus, ubi de secundo Animæ vehiculo agemus.

Seria mentis Reflectio super Peripateticismi illusiones.

Sect. II.

Æbutius.

ETsi sempiternæ veritatis Principijs inniterentur illa omnia quæ sanè non incuriosè disseruisti, haud ideo minùs Aristotelicam Philosophiam Platonicæ anteponendam censerem, solamq; in Scholis excolendam existimarem: quod Philosophia tua ad supecta & periculosa arcana aditum aperiat, hominemque non cavillatorem qui-

dem nec disputatorem Logicum, sed rerum quas scire non expedit anxiè curiosum, omnia naturæ arcana solerti indagine rimantem, in aggrediendo audacem, in effectibus potentem, uno verbo Magum faciat. Peripatetica verò Philosophia ad vitæ communis usum magis temperata, quod semel pro veritate receptum est studiosâ æmulatione tuetur; nec unquam positos ab ingenti illo naturæ Genio rerum fines transgreditur, sed in arenâ ab eo circumscriptâ, tantum exercendi animi acuendique ingenij gratiâ, tanquam in ludis Olympicis prō laureâ acquirendâ luctatur.

Gaderus.

Loquela tua manifestum te facit, Peripatetice: similemque prorsus Pharisæorum illorum ostendit, quibus malignitatis suæ insaniam Christus hisce verbis olim exprobravit: *Venit Joannes neque comedens neque bibens, & dicunt, Dæmonium habet: venit filius*

lius hominis comedens & bibens; & dicunt: Ecce homo vorax & potator, amicus Publicanorum & peccatorum. Quandiu licuit, invectus est Genius tuus in Platonicæ Philosophiæ insufficientiam; quasi absurditates & idæas a naturâ rerum abhorrentes admitteret. Nunc ubi è contrà ipsam ad rerum naturam collimare ostenditur, ne quis in Sophistarum mente pateat Sapientiæ aditus, de nimia sufficientiâ acerbior quam de insufficientiâ instituenda est querela. Benè monuit sanctus vates Jeremias, ideo *Desolatam esse omnem terram quia nullus est qui recogitet corde.* Potuitne igitur anima tua ipsam Sapientiæ pulchritudinem suam exprobrare, & in contumeliam vertere. Insudandum fateris Philosophiæ studio, ut naturam rerum perspectam habeamus; sed cavendum putas à Platonicis differendi principiis ac methodo, ne nimis profundè in arcana naturæ penetremus: habetne quidpiā horrendū veritas? habetne opus manuum Domini quidquam

hominis contemplatione indignum? Improbandane venit ipsius Christi Domini & Prophetarum ejus doctrina, quia potentes opere fuerunt? Leves animas inflat Scientia; fateor: atque utinam bonorum morum cultui totum illud tempus impenderetur quod studiis damus: verùm inter scientias nonne magis inflat illa quæ venti & inanitatis plurimùm habet, quàm quæ solido tantum naturæ cibo alitur? nec n. sic altè resonant plena dolia atque vacua. Si Peripatetica Philosophia nullius est in vita usûs nisi ad labefactandum cerebrum, & obtundendas insulsis cavillationibus aures; cur non illam priùs cæteris disciplinis dimittamus? nisi fortè non est seriò data homini vita, sed tantùm ad nugandum & garriendum. Sed & amoveatur prorsus omnis eruditionis cultura, exceptâ Legis Dei meditatione & mathematicis demonstrationibus. Certè solæ tunc Sophistarum argutiæ de medio vitæ humanæ foeliciter tollentur: perse enim

enim uberior ac purior quam anteà ex legis Dei & Demonſtrationum Mathematicarum conjugio inter aſſiduas naturalium effectuum obſervationes germinabit ac pullulabit Philoſophia illa quam Pythagoricam & Platonicam dicimus; fœliciorique luſu quam per Logicas cavillationes acuetur in naturæ contemplatione hominis ingenium.

Æbutius.

Pluribus poſſem Peripatetiſmi utilitates immenſas oſtendere, ſi principiis ab Ariſtotele poſitis & à totâ Scholâ vel potius toto Mundo receptis ſtare velles. Nunc vero dum maxima rationis inconvenientia floccipendis, abſurditateſque à Philoſophiorum principe oſtenſas pro veritatibus admittis; non video quomodo tecum aliter quàm cum furioſis contendendum ſit.

Gaderus.

Admonueram te ſtatim in hujus colloquij exordio, vir optime, de veritate illa ſyncera, quæ ſummum

est intellectus Bonum, De primâ Sapientiâ & Deipsâ Animæ naturâ, quâ non benè perspectâ, quid homini cavendum sit aut quærendum, frustra disputatur, ineundum nobis esse colloquium; quid hoc est, quod totius mundi assensum, hoc est, plurimorum sæculorum calamitatem, innumeram humilium ingeniorum multitudinem, multorum Magnatum vanitatem, & ambitiosam digladiantium interse Sophistarum æmulationem in argumentum veritatis adducis? Ego virorum istorum tam superbè scientiam jactantium, eruditionem ab effectibus & fructibus cognoscere tento, & nihil præter leves verborum umbras ab illorū mente creatas invenio, quæ fragilis chartæ corpore vestitæ per Orbem ad vexanda mortalium ingenia tanquam mali Dæmones vagantur. Expende nunquid sic cum reliquo hominum genere naturalis ratio versetur. Levibus aliquot præceptis ab experientia ductis Agricolæ immensas quotannis opes ex terræ gremio eruunt. Ex paucis fossilibus, ignis

Ignis ope Spagyrici arcanorum naturæ remediorumque potentissimorum suavissimas messes colligunt. Ex parum scitis, & longè a veris harmoniæ rerum principijs, incuriosè tractatis stellarum cum rebus inferioribus convenientijs, Astrologi pleraque satis appositè nec sine vulgi admiratione vaticinantur. Ex barbarorum aliquot verborum prolatione & plantarum congruenti applicatione Magi stupendos effectus educunt. Per harmonicas aliquot proportiones, Musicæ artis periti affectus hominum prorsus immutant. Ex Geometricis elementis quas mirabiles potentiæ machinas Mechanici non fabricant? Ex assiduâ verò per bis mille annos Aristotelis interpretatione quodnam accessit humano generi Scientiæ vel potentiæ incrementum? Æternum delirare docuit, necdum an Logicâ sit ars vel scientia, nec utrum universalia sint ab parte rei definivit. Attamen illa est scientia quæ omnium aliarum disciplinarum Censuram

sibi

sibi vindicat, omnesque veros naturæ cultores audaci supercilio despicit. Illa est quæ nec graduum ignis perita, Chymicæ leges imponit; nec quid sit Directio intelligens, Astrologiæ regulas præfinit; nec in junctione conjunctionum ullatenus erudita, quæ sit Magia alba, quæ nigra, quid possint, quid nequeant Dæmones, quid sit naturale quid supernaturale determinat. Hinc tot stultæ de rebus malè perpensis definitiones, & à cæcis ductoribus cæci absque miraculo in foveas præcipites dati. Hinc in Justitiæ distributione a Jurisperitis tot efficti Juris apices, qui ex æquo xii. Tab. Jure & salutaribus Prætorum Edictis Summum Jus in summam mortalium injuriam Logicâ Proculianorum subtilitate commenti sunt. Hinc in curandis corporum ægritudinibus tot futiles effictæ a Peripatismi alumnis morborum causæ ac differentiæ, tot Logica symptomatum genera, tot illusoriæ prænotionum species, si-

mul-

mulque tot insulsæ pharmacorum compositiones in pestilens levis morbi remedium ad hibitæ: ut juxta optimi Medici sententiam; Ad morborum curationem, tria plerumque languenti Naturæ vincenda sint, morbi malitia, ægri intemperantia, & pejoris omnibus Medici imperitia. Hinc quod magè dolendum est, in procurandâ mortalium salute tot nova Religionis dogmata lapsu temporis edita, tot ritus, tot conceptæ extra antiquæ Sapientiæ regulas ceremoniæ, tot subtiles peccatorum distinctiones inventæ, tot superstitiones timidis animis obtrusæ, tot gratiæ distinctiones ac gradus, sine gratiæ Dei auxilio, & absque spiritus sancti lumine, in Sophistarum mente concepti, tot fabulæ de alterius vitæ statu pro cujusque aut affectu aut utilitate confictæ: ut non absque gravi causa questus sit D. Augustinus, quod, *Religionem nostram quam in paucissimis, & manifestissimis celebrationum Sacramentis Dei misericordia voluit esse liberam*

H. Thriver co. in art. Gal.

Ep. 119. ad inquis. Jan. & Can. omnia. Dist. xii.

D. Th. Sum. Theo. Prim. Sec. q. cvii. art. ulti.

beram servilibus premunt oneribus; adeò ut tolerabilior sit conditio Judæorum, qui et si tempus libertatis non agnoverint, legalibus saltem sarcinis non humanis præsumptionibus subjiciuntur. Cum enim, inquit D. Thom. Aqui. *Præter præcepta legis naturæ paucissima contineat lex Gratiæ à Christo & Apostolis tradita, superadditæ sunt alia multa à Patribus & Ecclesiâ, quæ essent moderanda, ne conversatio fidelium onerosa efficiatur.*

Sed nunquid fortè ad Artes Politicas magis confert Peripatetismus, melioque Principum authoritatem tuetur, quibus vis est jus, & injusta possessio justi dominij titulus? Quidnam compendij ab ejus argutijs percepturi sint, unicum abundè docebit in clarissimo omnis ætatis ac memoriæ Principe luctuosum prorsus exemplum. Cum ab ultimis Oceani Indici littoribus Babyloniam revertenti Alexandro Chaldæus quidam Magus occurrisset, admonens ne urbem illam in-

Justin. Epito. lib. xii. c. xiii.

grede

gredereturque fatalis illi futura erat: cautus princeps in Bursiam trans Euphratem libenter concessit. Quo prudenti consilio dum iniquæ Sortis insidias declinatutus videretur, ab Anaxarcho compulsus est *Magorum prædicta contemnere*, inquit Justinus, *ut falsa & incerta: quippe si fatis constent ignota mortalibus; & si natura debeantur, immutabilia.* Reversus igitur in Babyloniam ne paralogismis Sophistæ argutiis obloqueretur, potionem illam, vix ingressus, accepit, *qua velut telo confixus tanto dolore cruciatus est ut ferrum in remedia poscceret, tactumque; hominum velut vulnera indolesceret*; donec misera anima infectum veneno corpus, quod tam insignium gestorum capax fuerat dimittere coacta est.

Quis igitur toto Orbe memorabiles victorias, tanto Europæ & Asiæ sanguine tinctas, tota totius Orientis vastatione partas, tanta fortunæ gratia cumulatas momento corrupit? non Antipatri me-

ditatæ

ditatæ diu insidiæ, non parricida Thessali audacia, non Cassandri perfidia, non Jollæ manus impia; sed stolida Sophistæ argutia in hoc tantùm intenta, ne quampiam artem ex vera rerum Idæa originem ducentem, tanto imperio ad hæredes transmittendo prodesse pateretur. Quæque summa Magi Solertia sortis iniquitatem proditorum insidias & parricidarum scelus vicerat, pessimam unius Sophistæ suggestionem vincere non potuit, cujus ope dira Sors Sapientiam vicit.

Æbut.

Quî scis num dolo potiùs quam imprudentiâ compulit Alexandrum Anaxarchus Babylonem redire? nunquid non æquè facile ac Thessalus potuit inter conspiratores numerari?

Gade.

Cogis tandem tam execrandi parricidij invidiâ Sophistus præ cæteris onerare. Testatur n. Plinius (quod in gratiam Magistri tui dissimulaveram) Aristotelem ipsum, modum

modum illum interficiendi veneno Regem optimum, ac amantissimum discipulum excogitasse. Quæ sanè causa fuit posteà Imperatori Antonino Caracallæ omnes Peripateticos urbe pellendi, quasi homines pessimi magistri discursum imitari aliquando capaces.

Æbut.

At ubi tam acerbum ingruebat fatum quid profuturam fuisse existimas loci mutationem? nequibant fortè ijdem parricidæ, eodem veneno Bursiam translato, idem consilium quod tandiu meditati fuerant, in ejusdem capitis perniciem exequi; cum ipsi familiares & à poculis essent?

Gade.

Nullatenùs certè, o bone. Sunt enim ubique ad humanorum actuum executionem requisitæ tres circumstantiæ, Locorum, Temporum ac Personarum : quarum vel unâ deficiente pereunt ut plurimùm inita summo studio consilia. Nec quæ inter eas gravior sit facilè dixeris : tamen differentia locorum sanè

gravis-

graviſſima. Enervat n. temporis diſpoſitionem, & Perſonarum affectus mutat, Genioſque illarum vincit. Superiores quippe mortalium Genijs ſunt Genij Locorum, aliaque hominibus media, alias conſilijs occaſiones obijciunt.

Æbutius.

Ediſſere pleniùs hæc arcana.

Gaderus.

Libentiſſimè; poſtquam inter nos conſtiterit, utrum homo ſit ens perſe vel per accidens; & utrum ad humanæ actionis unitatem ſufficiat motum fieri ab Animâ ut a ſubjecto à quo, & à corpore ut à ſubjecto in quo eſt; vel prorſus neceſſe ſit Animam eſſe terreni hujus corporis formam, ut tu Æbutius ſis, & ego Gaderus. Quæ dubia ſi ambos toto vitæ noſtræ reſiduo ſuſpenſos facilè retentura ſunt, quippe quæ ab Ariſtotelis ætate ad hæcuſque tempora ſolvi nequaquam potuere, ſed per innumeras diſputationes obſcuriora facta ſunt: vide quandonã ſperandũ eſt otium meditandi

tandi aliquid publicæ vel privatæ rei proficuum.

Æbutius.

Sed interea, dum subvertendis illis Peripateticæ Methodi machinis totus intentus es, quibus studiosa juventus ad bonas artes provehitur, quis de novis scientiarum fundamentis instaurandis cogitaturus est?

Gaderus.

Nullis aliis Idæis præoccupandi Adolescentum animi, quam quas Natura rerum ipsa mentibus eorum paulatim inserit; quarum ordinem ex ipso Autographo summa fide in Elementis Geometricis Euclides exscripsit: ut Sapienter admonuit in moralibus Instit. Alexander Piccolominæus. Illa n. Geometricarum demonstrationum series Imaginationis evagationem coercet, & Intellectum ad apprehendendas veras rerum notiones aperit, tantâ rationis evidentiâ, ut à nullâ ingenij differentiâ repudiari possit, quemadmodum aliæ plerumque scientiæ, quæ hoc

Picæ

Piæ morbo, quem plerisque ingeniorum speciebus inferunt, solidæ in se veritatis defectum accusant. Alia a. quæcunque Logicarum Methodωv ædificia vivo illi saxo non sunt superstructa, Palatiis illis a Faunis, Nymphis & Sylvanis ex tenuibus specierum materialium radiis extructis similia sunt, quæ fascinatis quidem oculis speciosa aliquandiu apparent, verùm sublato fascino nil aliud esse comperiuntur nisi lutosæ paludes, vel antra foetida situ squallentia ac serpentibus referta. Nihil Aristotelicâ methodo primo intuitu præstantius nec inexpertis jucundius; verùm ubi cautè & cum judicio attenderis, arbitrarias plerumque ejus divisiones, vanas definitiones, & commentitia principia invenies: ita ut vix quicquam ab ejus studio realis compendij referas, nisi insanabilem cavillandi pruritum & pessimum alios Authores calumniandi Genium. Neustrium n. verè ingenium vir ille insignis ubique exhibet, aliorum dogmata vix unquam bonâ fide referens

rens & sua propria tam ambiguâ oratione enuntians, ut advarios sensus in verbis ejus pateat effugium. Gaudet quippe sepiæ instar ad abscondendum se potiùs quàm ad producendum, attramentum effundere, ne propriorum verborum rete capiatur, dum nihil novi ad *Scientiæ* humanæ incrementum asferens, antiquos tantum Sapientiæ magistros artificioſe calumniatur. quod per singulas operum ejus paginas ostendere facilè esset, si tractandi inter nos argumenti qualitas tam longè evagari pateretur; aut non esset actum agere; post doctissimas summorum Philosophorum P. Rami & Petri Gassendi Exercitationes, aliorumque insignium virorum Commentarios in ipsa Peripateticâ Scholâ editos. Certè intolerabilis est ejus adversus Empedoclem invidia, quem dum ubique insectatur, certè & in ipsâ levi Poeticæ elocutionis licentiâ calumniatur acriter, quasi confundentem simul intellectum & sen-

sum

Lib.iii.de Ani.c.iii. sum, dum dixit: Ad præsens n. Sapientia augetur hominibus.

Πρὸς παρεὸν γὸ μᾶλλον ἀύξεται ἀνθρώποισι

Quasi sit tutior aliqua Scientiam acquirendi via quam ex Principijs per longas inductiones acquisitis. Sed cavillatur Aristoteles super verbo [Sapientia] quod habitum intellectualem ex communi loquendi usu inter Philosophos significat, & super verbis [ad præsens] quæ Logico rigore ad cognitionem sensus propriam trahi possunt: quoniam quod ad certum tempus coangustatur individui naturam sapit, Intellectus vero à circumscriptione temporis & aliarum circumstantiarum abstrahit. En præclarum fundamentum cui innititur contumeliosa illa Aristotelica reprehensio: *Hi namque omnes existimant Intelligere esse corporeum ut & sentire.*

Cui statim superingerit ejusdem farinæ cavillationem ad fundamentum doctrinæ ejus convellendum.

Atqui

Atqui oportebat, inquit, *simul etiam de deceptione eos dicere, quia magis est propria animalibus & plus temporis in his versatur Anima.*

Videsne, quomodo vult veteres illos talem Animæ naturam tradere, quæ non minus deceptæ conveniat, quam cognoscenti (quoniam supponit ipse illam per se terreni corporis formam quam ideo plerumque errare necesse est) quamvis probè sciat illos Animam per se subsistentem agnoscere, ac secundum propriam naturam operantem.

Attamen insolens ille Veterum reprehensor, ad problema quodpiam valdè arduum diluendum, non erubescit ad aliena damnatorum à se Philosophorum dogmata confugere, ubi propriæ doctrinæ fundamenta fatiscere advertit; satis certus, ubi non veritatis gloria, sed victoriæ lucrum quæritur, nullum esse placitum adeo absurdum, quod non alicui problemati apprimè quadret. Unde ipsis Interpretibus suis non-

nonnunquam offudit pudorem; veluti in iiij Meteor. ubi lentoris causam ambiguo ἐπαλλάξει verbo ab ipso expressam legentes, & congressûs seu annexûs significatione potiùs quàm diversitatis accipiendam non dubitantes (quandoquidem lenta existimat esse illa quæcunque velut catenæ quædam fiunt corporum) statim agnoverunt eum ab atomis totiès explosis subsidium in rationis angustiâ petijsse: quasi ipsum in equuleo posuisset Sapientia, ad veritatem principiorum naturæ ab infido ore exprimendam. Et reverâ nunquam problema illud aliter solvissent Democritus aut Leucippus, ex insectilium corpusculorum contemplatione, quorum variæ figuræ, qualitates, ac virtutes harmonico motuum concentu mixtorum generationem inchoant. quippe:

Juvenalis Sat. xiiii. *Nunquam aliud natura, aliud Sapientia dixit.*

Verùm ne Peripatismus aliquid vel naturæ vel Sapientiæ redoleret, confessam à Magistro lentoris causam reprobarunt

runt Aristotelis enarratores, aliam commenti principijs ejus congruentiorem, maximam sc. humidi cum sicco permixtionem vel à calore forti permotione miscente, vel à frigore comprimente factam. (Sed plenius de his in Instit. nostris Physicis.)

Ne queraris igitur amplius de Peripateticarum machinarum subversione, quasi deplorandum contingat aliquod malum, dum perdimus plumbum ut ipsi sufficiamus aurum: nec grande putes naturæ rerum detrimentum, si homo non sit secunda illa intentio quam Ens per se appellatis, aut ex animæ humanæ subsistentia inferatur quod possit aliquando è corpore egredi, rursusque in illud se condere. Nullum erit majus inconveniens, quod actio moventis & moti non possit idoneum invenire locum in Categorijs Aristotelis, ante quarum fabricam valdè idoneum nacta fuerat in ipsius naturæ ordinibus; nec ulla inde orietur rerum perversio, quod Animâ ex-

istente corpori conjuncta ut motore mobili, corpus & partes ejus non consequantur speciem ab Animâ, sed ipsâ abeunte remaneat corpus ejusdem speciei. Miror certè quomodò ipsis Christi Evangelistis ignoscere potuerunt Sophistæ, quod asseruerint Josephum ab Arimathæa Corpus Domini sepelisse; siquidem ex solenni Peripatetismi decreto, post decessum animæ corporis partes non dicuntur nisi æquivocè.

Heu dum talibus nugis impenditur tempus quanta rerum moles vacat! ut prudenter admonet Seneca. Quodnam inde vitæ communis usui, quodnam Religionis cultui, quodnam sacræ Scripturæ explanationi sut fidium accessurū est, siquidem sacra illa prophetarum Oracula ubique numerorum figuras, proportiones, dimensiones, progressiones Geometricas & Harmonicas, ubique metallorū purgationes, igniū diversitates, saliumac plantarum virtutes, animalium & arborū symbola proponunt, nusquam verò Porphyrij

phyrij voces vel Aristotelis Categorias, residuamve Priorum ac Posteriorum Analyticorum supellectilem, aut subtiles virtutum moralium divisiones attingunt? Si mirum in modum sapuisse prædicantur qui divino numine afflati sic locuti sunt, quomodo sapere dicemus eos qui nusquam quicquam simile efferunt, & quæ nullibi in tam Sapienti eloquio inveniuntur perpetuò effutiunt? nec tamen plurimùm adversùs Hydram illam valitura est securis ista, siquidem gratificari plurimùm Spiritui sancto putant Scholæ alumni, dùm fateantur Theologiæ studiosum Matheseos non prorsùs ignarum esse oportere. Quasi quicquam in Mathematicis Scire existimandus sit, aut inde quicquam luminis ad sacrorum Codicum illustrationem transferre posse, qui minùs probè in illis versatus sit.

Fateamur igitur pessimo spiritui mancipatas esse illorum mentes qui ludicro disputandi exercitio vitam impendunt; nullamque Sapientiæ

considerationem, nullum Prudentiæ dictamen, nullam diversorum naturæ processuum harmonicè consonantium collationem, nullam mirabilium eventuum observationem in discursum Philosophicum induci patiuntur; sed Categoriarum carceribus undique septi & Topici syllogismi machinâ instructi, ludicram Philosophiæ larvam lucri cupiditate ostentant. In quo mercatores illos tomicos satis bellè effingunt, quibus solenne est in obscuræ solùm tabernæ malignâ luce merces suas extrudere, ne in aperto aere colorum vitia & pannorum adulterationes ac detrimenta à vetustate orta perspicuè appareant. Quod si cordatus aliquis homo animoso saltu carcerum illorum Sophisticorum angustias transgrediatur, & per apertum Naturæ campum duce humano discursu libere spatietur, statim imperitus audit & paralogisans; aut forte ab humanioribus Eloquentiæ laude ornatur, ne ad solidæ eruditionis lauream aspiret: quasi vera & efficax esse possit Eloqueu-

ſoquentia, ubi non eſt Sapientia, aut ubi viget Sapientia, deeſſe poſſit eloquentia. Interea tamen nulli mortalium frequentius quam Sophiſtæ paralogiſant; dum ſinguli veritatem demonſtratione probatam ſibi vindicantes nunquam in eandem ſententiam conveniunt; ſed per æternas digladiationes ſubvertendis invicem aliis aliorum aſſertionibus perpetuò inſudant. Quod ſolitâ verborum parſimoniâ attigit venerandus Senex noſter in principio libri de naturâ hominis; morbum illum cavillationum & ſophiſmatum Græcos quoſdam jam ante Ariſtotelis tempora inſanabiliter vexaſſe indicans. *Cum idem*, inquit *inter ſe contendant coram ijsdem auditoribus, nunquam in diſputando idem ter ordine ſuperior exiſtit, ſed modo hic vincit modo ille*; *ac plerumque is cui potiſſimùm volubilis lingua & ad populares aurem accommoduta contingit. Quanquam par eſt eum qui rectè de rebus ſentit, ſemper in diſputatione ſuperiorem exiſtere.* Quod ſanè videre eſt apud

Matheseos, cultores qui Euclidis ærariū immenso arcanorū proventu, in dies, sine strepitu ditant: apud Hermeticos Philosophos, qui nudæ Naturæ pulchritudinem in fornacibus suis taciti mirantur: apud Platonicos, qui à plebeiorum Geniorum consortio secreti supernas mentes & Archetypica exemplaria, inferiorum productionum causas, & fatorum in res humanas imperium in silentio plusquam quinquennali mirantur.

Quod si è contrà paralogisantem & miserè disserentem vis intueri insignem Aristotelis & Galeni alumnum; lege quæ vir, inter insignes Medicos insignis futurus, si minus Logicæ fumo inebriatus esset, libro illo disseruit, in quo reliquos ferè omnes Apollineam artem profitentes erroris damnare non erubuit. Ibi videbis insignem Peripateticum in vasti operis initio docentem, Medicum in Logicis benè versatum, *tanquam ab alto & excelso loco munere Analytico excitum, laqueos nostratum & Syrtes innume-*

numeras oculis penè videre, & inde pernoscere optimos medicos; & gloriantem, se operis illius in limine, tres libros præposuisse, *quorum quivis lumine ductus nec à finiendo, nec discurrendo, sive in M. dicâ sive in quâvis aliâ facultate à vero unquam deflectere possit: omnibus quippe locis à thesauris Aristotelis in divitias suas congestis, quoniam sunt tres illi libri divinis Philosophi preceptis referti.* Mox ubi reipsâ præstandum fuerit quod promisit, eundem videbis hâc Positione cap. xvi. lib. iii. titulum exornare: *Qui dicunt venas cubiti dextri melius evacuare lapar quam sinistri, videntur ignorare venarum exordium.* Quasi omnibus retro sæculis ignoratum sit, utriusque cubiti venas ab eodem tranco in jugulo oriri; aut nemini inter tot eruditissimos viros per mille quingentos annos in cogitationem inciderit communis notio, à stolidi bubulci mente nequaquam aliena, quod, Quando ab eodem vase per canales longitudine, amplitudine ac formâ similes exhauritur aliquis liquor, tantun-

dem per hunc ac per illum evacuari. Et tamen miser Logicus, qui præcedenti capite festucam in oculo fratris sui facilè adverterat, dum in Peripateticum Gymnasiarcham invectus fuerat, quod dixisset, *magis Aristoteli credendum esse quam ἀυτοψίᾳ & propriis sensibus*; nunc trabem in proprio oculo non percipiens, docet nos *experientiam esse revera paralogismum, & exordium venarum utriusque cubiti docere falsitatem hujus assumpti, quod experientia pateat missionem sanguinis factam a dextro cubito majus beneficium afferre quàm à sinistro.*

Quæ futilia dum sine fine deblaterat Sophista, quam longe abest ab Analogijs & Sympathijs Macrocosmi, ac Microcosmi, singularumque utriusque partium Consensu mutuo? Sed æquiorne est plantis quam corporibus humanis, & Dioscoridi quàm Galeno? Dum illũ erroris insimulat quod mercurialem marem gignendis maribus auxilio esse dixerit, hanc ex tam benè comptâ Logicâ suâ rationem affert: quod *cum à Dioscoride*

scoridis temporibus ad hæc usque tempora herba hæc pro hoc obeundo munere nullo sit in pretio, est sine alia experientiâ in fabularum catalogo collocanda. O præclara consequentia, & validum argumentum à subtilissimo Sophista in debitâ formâ positum! Sed amoveamus mentem ab his ineptiis, ne nimiam illis attentionem præstando ipsi ineptiamus. Supereſt, ut *Qui sordidus est sordescat adhuc, & qui sanctus est sanctificetur adhuc.*

Aristotel. & Platon.

PARS. II.

Evacuatio Authoritatum quæ propriam Animæ in corpore subsistentiam reprobant.

Sect. I.

Æbutius.

DEclamantem adversus Aristotelis Scholam tam patienter audivi, quam bonâ fide & ex publicæ rei utilitate locutum credidi: nec inficior me aut rationibus tuis victum, aut eloquio persuasum, aut sermonibus obrutum, ab Aristotelis partibus discessurum fuisse, nisi cohibuisset me ipsius Ecclesiæ Christi veneratio, quæ tam consentanea rationi judicavit Aristotelis dogmata, ut ea non semel solennibus Oecumenicorum Conciliorum Decretis in rem judicatam transire fecerit

cerit. Et reverà dic mihi bona fide, Medice, putasne tuam tuique Platonis sententiam facilè Authoritatis illius fulmina averruncaturam, que infinitam & absolutam accepit à Christo potestatem ad discernendum & judicandum, probandum & damnandum, ligandum & solvendum; ita ut nec verum quicquam, nec justum à Christiano existimandum sit quod illa vel falsum vel iniquum aliquando censuerit.

Gade.

Jamdiu ex Peripatetici Coeli motu prævideram, quod si ad flectendos adversus Platonem Superos Rationes non valerent, Authoritatibus Acheron movendus esset. Sed cavè, quæso, ne zelus ille qui non est secundum Scientiam, absumat te.

Abuni.

Sed dic serio; nonne admissâ illâ Animæ in corpore tanquam nautæ in navi subsistentiâ, prona jam est via ad inferendum illam fuisse vel ab æterno vel saltem in principio rerum creatam.

Gade.

Gade.

At Ego, vir optime, non tam mollis ſum oris (ut ipſis Albani verbis utar) qui hæc oſcilla verear.

Æbuti.

Sed adverſatur illud univerſali ſen Catholicæ Chriſtianæ Eccleſiæ doctrinæ.

Gade.

Nego.

Æbuti.

Non igitur apud Pſaltem legiſti: *Deus finxit ſigillatim corda hominum*

Nonne Zacharias aſſerit quod *Deus format ſpiritum hominis in interiori eius?*

Nonne ipſe Chriſtus Dominus ait: *Pater meus uſque modo operatur & ego operor?*

Gade.

Nil adhuc audio damnationis ſententiæ meæ, niſi aliquam privatam locorum iſtorum S. ſcripturæ interpretationem, pro Catholica Eccleſiæ Chriſtianæ doctrinâ obtruſurus ſis.

Æbuti.

Privatâne cenſebis interpretatione quod toti antquitati, omnibus Eccleſiæ Doctoribus placuit.

Gade.

Gude.

Nequaquam.

Æbuti.

Atqui sic Interpretatur Clemens Romanus: *Qui ex modico semine genitali hominem in utero format, & animam quæ ante non erat in eo creat.*

Sic Greg. Nazianzenus: *Vereor ne absurda ac præpostera cogitatio cuiquam obrepat, tanquam Anima alibi usquam versata sit, ac deinde corpori huic adstricta fuerit.*

Sic Greg. Nyssen. *Neque Anima est ante corpus, neque ante Animam corpus construitur.*

Sic Cyrill. Alexandr. *Nonnulli ante corpora humana in beatâ vitâ fuisse Animas in cœlo contendunt: cujus opinionis falsitatem modo redarguere tempus est.*

Sic Rusticus Diacon. *Non præexistunt corporibus hominum Animæ ipsorum.*

Sic Leo Magnus: *In Origene meritò damnatum est quod Animarum antequam corporibus insererentur, non solum vitas, sed & diversas asseruit*

Aristotel. & Platon.

PARS. II.

Evacuatio Authoritatum quæ propriam Animæ in corpore subsistentiam reprobant.

Sect. I.

Æbutius.

DEclamantem adversus Aristotelis Scholam tam patienter audivi, quam bonâ fide & ex publicæ rei utilitate locutum credidi: nec inficior me aut rationibus tuis victum, aut eloquio persuasum, aut sermonibus obrutum, ab Aristotelis partibus discessurum fuisse, nisi cohibuisset me ipsius Ecclesiæ Christi veneratio, quæ tam consentanea rationi judicavit Aristotelis dogmata, ut ea non semel solennibus Oecumenicorum Conciliorum Decretis in rem judicatam transire fecerit

cerit. Et reverà dic mihi bona fide, Medice, putasne tuam tuique Platonis sententiam facilè Authoritatis illius fulmina averruncaturam, que infinitam & absolutam accepit à Christo potestatem ad discernendum & judicandum, probandum & damnandum, ligandum & solvendum; ita ut nec verum quicquam, nec justum à Christiano existimandum sit quod illa vel falsum vel iniquum aliquando censuerit.

Gade.

Jamdiu ex Peripatetici Coeli motu prævideram, quod si ad flectendos adversus Platonem Superos Rationes non valerent, Authoritatibus Acheron movendus esset. Sed cavè, quæso, ne zelus ille qui non est secundum Scientiam, absumat te.

Æbuti.

Sed dic serio: nonne admissâ illâ Animæ in corpore tanquam nautæ in navi subsistentiâ, prona jam est via ad inferendum illam fuisse vel ab æterno vel saltem in principio rerum creatam.

Gade.

Gade.

At Ego, vir optime, non tam mollis ſum oris (ut ipſis Albani verbis utar) qui hæc oſcilla verear.

Æbuti.

Sed adverſatur illud univerſali ſen Catholicæ Chriſtianæ Eccleſiæ doctrinæ.

Gade.

Nego.

Æbuti.

Non igitur apud Pſaltem legiſti: *Deus finxit ſigillatim corda hominum*

Nonne Zacharias aſſerit quod *Deus format ſpiritum hominis in interiori eius?*

Nonne ipſe Chriſtus Dominus ait: *Pater meus uſque modo operatur & ego operor?*

Gade.

Nil adhuc audio damnationis ſententiæ meæ, niſi aliquam privatam locorum iſtorum S. ſcripturæ interpretationem, pro Catholica Eccleſiæ Chriſtianæ doctrinâ obtruſurus ſis.

Æbuti.

Privatâne cenſebis interpretatione quod toti antquitati, omnibus Eccleſiæ Doctoribus placuit.

Gade.

Gnde.

Nequaquam.

Æbuti.

Atqui sic Interpretatur Clemens Romanus: *Qui ex modico semine genitali hominem in utero format, & animam quæ ante non erat in eo creat.*

Sic Greg. Nazianzenus: *Vereor ne absurdâ ac præpostera cogitatio cuiquam obrepat, tanquam Anima alibi usquam versata sit, ac deinde corpori huic adstricta fuerit.*

Sic Greg. Nyssen. *Neque Anima est ante corpus, neque ante Animam corpus constituitur.*

Sic Cyrill. Alexandr. *Nonnulli ante corpora humana in beatâ vitâ fuisse Animas in cœlo contendunt: cujus opinionis falsitatem modo redarguere tempus est.*

Sic Rustieus Diacon. *Non præexistunt corporibus hominum Anima ipsorum.*

Sic Leo Magnus: *In Origene meritò damnatum est quod Animarum æquam corporibus insererentur, non solum vitas, sed & diversas asserui*

seruit fuisse actiones. Et alibi tanquam ex Cathedrâ loquens: *Catholica fides constanter prædicat atque veraciter, quod Anima hominum priusquam suis inspirarentur corporibus non fuere.*

Sic Gennadius Massilienſis: *Credimus Animas hominum non esse ab initio inter cæteras intellectuales naturas, nec simul creatas sicut Origenes fingit.*

Sic Primasius: *Animam hominis ex nihilo creavit Deus & creat adhuc.*

Sic Beda: *Est indubitata fides Animas similiter cum ipso corpore nasci.*

Sic Rabanus Maurus: *Credimus formato jam corpore Animam creari & infundi.*

Nec arduum mihi esset innumeros alios Ecclesiæ Dei pastores ac Doctores laudare, qui constanter Animæ in corpore creationem à Deo fieri asseruere. Sed ubi non sufficiant antiqui isti veritatis testes, qui intra octo prima Ecclesiæ sæcula floruerunt; frustra recentiorum autho-

authoritatem incredulitatis pertinaciæ opponere tentemus.

Locum igitur istum unicâ definitione omni exceptione majore claudemus quæ est Clementis V. P. Max. in Generali Concilio Viennensi, tanto operi ultimam manum imponentis illo Decreto quod refertur Lib. 1. Tit. 1. Clementinarum; ubi sic loquitur:

Doctrinam omnem seu positionem temerè asserentè aut vertentem in dubium quod substantia Anima Rationalis seu Intellectivæ verè ac per se humani corporis non sit forma, velut erroneam ac veritati Catholicæ inimicam fidei praedicto sacro approbante Concilio reprobamus. Definientes, ut eum ctis nota sit fidei sinceræ veritas, ac præcludatur universis erroribus aditus, nec subintrent: quod quisquis deinceps asserere defendere seu tenere pertinaciter præsumpserit, quod Anima rationalis seu intellectiva non sit forma corporis humani, per se & essentialiter: tanquam hæreticus sit censendus.

Tantam igitur habentes circumjectam nobis nubem testium quos ad

ad cœlum evexit ſumma pietas, fides atque doctrina; æquumne cenſueris, nos antiquum delirantium aliquot Platonicorum errorem, contemptu ipſo jam obſoletum, atque ex hominum memoria, ferè prorſus elapſum, contra Eccleſiæ catholicæ definitiones ſuſcitare?

Gade.

Quo Spiritu actus ſis in veterum illorum Patrum Authoritatibus recenſendis, præclarè docuit noviſſimum iſtud tuum Epiphonema. Ergò, bone vir, delirarunt omnes antiqui Sapientes, quia ſic Ariſtoteli & ſervo ejus pecori placuit? Ergo valdè fœlix eſt Mundus, quia ferè jam prorſùs obliterata eſt veræ Philoſophiæ memoria? Ergo pro Catholica Chriſti Eccleſiæ doctrinâ antiquâ, neceſſariò accipiendum eſt, quod per Sophiſtarum ac Leguleiorum ſententiam poſt MCCCXI. à Chriſto annos, in rem judicatam tranſire cæpit? verùm ego te, Peripatetice, jamjam in principio admoneram, me Philoſophum prorſus ac Medicum, nolle in hoc Colloquio

quio de jis quæ vel ex Ecclesiasticis Traditionibus vel ex superciliosorum Scholæ Theologorum definitionibus exprompsisses quicquam attingere. *Nec n. sum Propheta*, ut Zachariæ verbis utar, *homo Agricola ego sum, quoniam Adam exemplum meum ab adolescentiâ meâ.* Attamen quia durissimo tempore Jerosolymorum instauratores alterâ manu cæmentum apponere, altera gladium ferre olim sustinuerunt, ego in ædificanda Civitate Dei & extruendo Veritatis templo, non detrectabo pulvere obductos Ecclesiæ Canones in manus sumere; ut sicut tu rationis defectum authoritatum præjudicio supplere tentasti, ego probationum naturalium plenitudinem veris Ecclesiasticæ disciplinæ regulis cumulare valeam. Illud tantum cum ingentis animi viro Origene præfatus. *Nescio si de his differentes nemi nem offendemus: sed et si offendamus obedire magis & deservire oportet Verbo Domini quam gratiæ hominum.*

Cum igitur inficiari nequeam satis diserte, quin potius nimium audacter

dacter locutos esse antiquos illos Ecclesiæ proceres, quorum sententias retulisti; nec ignorem te talium suffragiorum numerum facilè duplicare imo triplicare potuisse; veritatem plebeiis ingeniis parum acceptam jam responsionis meæ initio edere cogor, PAUCOS inter millia SAPERE nosse. Nec prodest quicquam hîc causam injustam præsidio nominis Ecclesiæ, & titulo Decisionis fidei munire. Sicut non nisi valdè temere & absque Spiritus sancti afflatu tentarent Romani Pontifices & Ecclesiæ Proceres ex Cathedrâ decidere, numquid in intemperatâ corporis constitutione, post sanguinem & pituitam major bilis quam melancholici succi copia generetur, vel utrum catarctica medicamenta similitudine substantiæ humores attrahant, an certa & specifica proprietate expellant; quoniam infallibilitatem non promisit Ecclesiæ Christus in ijs quæ sunt Physici discursûs: sic nec ijsdem competit de naturâ Animæ humanæ & ejus ortu, tanquam de re

re ad fidem pertinente definire; cum tractatus iste Philosophicarum meditationum apex sit celsissimus; de quo nil habet affirmandum Christianus, nisi quod procul dubio immortalis est Anima, cui vita æterna promissa est.

Et sanè non alius per plura sæcula magis obstitit obex procurandæ miserorum Indorum saluti, qui in tenebris & in umbra mortis sedebant, quam temeraria illa de omnibus Pontificaliter definiendi audacia; quæ & olim Vergilium Episcopum universas Orbis terræ partes mente & calamo lustrantem censuris opprimere ausa est: & nuper ingentem virum Galilæum in cœlum conscendentem ad verum syderum motum investigandum, diris prosecuta est; ita ut non sine gravi causa olim ab optimo principe Ludovico xii. Galliarum Rege de quodam ab illis dictum apparuerit: *videtur non aliud istius hominis munus esse nisi maledicere.* Quamvis si verū fatèri velimus, nihil unquā Pietatis ac Sapientiæ Christianæ

ſtianæ incremento, nihil aſſerendæ Romanæ Sedis ſuper alias Eccleſias authoritati magis obfuit.

Ne igitur iraſcaris, optime vir, ſi Leoni Magno non magis quam Hadriano & quibuſdam alijs Pontificibus in Philoſophicis tribuam, qui ſeſe negotiorum geſtores potius quam Procuratores in domo Domini præbentes, nonnulla in Eccleſiâ *Dei* haud prudenter tentarunt, pro quibus apud Chriſti tribunal in noviſſimo Die conveniendi ſint. Cum enim minùs de fide ſit Ortûs Animæ humanæ cognitio quam duorum terræ hemiſpheriorum Hiſtoria, vel motûs Telluris Obſervatio (cum illa Experientiæ innixa fidem ſaltem humanam ab homine Rationali exigat, hæc Opticis demonſtrationibus fulta unicæ apud mortales *Scientiæ* peritiam in negante deſideret) valde indecens Chriſtiano Paſtore videtur, ibi novum fidei dogma ad Sophiſtarum in Eccleſiaſtico conſeſſu regnantium mentem effingere, ubi nec humanæ ſalutis ratio remedium exigit,

nec

nec Sapientiæ lux viam aperit. Non erubescam igitur cum D. Augustino dicere: *Multa esse in Patrum Ecclesiæ Opusculis quæ possint usto judicio & nulla temeritate damnari. Hoc enim genus literarum & Scriptorum Ecclesiæ Patrum ab authoritate Canonis Scripturarum Sacrarum distinguendum est, nec leguntur tanquam ex eis testimonium proferatur contra quod sentire non liceat, sicubi fortè aliter sapuerint quam veritas postulat. In eo quippe numero sumus ut non dedignemur etiam aliis ab Apostolo dictum accipere: Et si quid aliter sapitis id quoque Deus vobis revelavit. Philip. cap. iii.* Tractatus de Anima lib. iiii. Dist. ix. can. negare noli.

Quod verò ad contumeliosam Clementis v. Decretalē spectat, quæ se Viennensis Concilij approbatione vallatā gloriatur: quamvis in quibusvis Ecclesiasticis consessibus adesse Dei Spiritum ad humanas mentes in veritatis cognitionem dirigendas non inficier, (quandiu. sc. proprijs affectibus & Mundanis solitudinibus ab excipiendo illo Divino lumine non avocantur) certum est

est tamen plerumque sufficientis dispositionis defectu non moveri mentes humanas absque repugnantiâ ab aura illa desursum spirante: unde contingit in Ecclesiasticis Consessibus plurima definiri quæ novis postea remediis indigent, ac etiam vere quædam aliquando determinari (dictante Cœlesti lumine) quæ sub imagine carnali ab hominibus accepta & ad Mundanas sollicitudines detorta Christianarum mentium directioni parum cautè applicantur. Hinc tot definitiones in Corpore Conciliorum passim obviæ, quas irrident prophani homines: dum Sapientes ac modesti Zelum spiritu Dei actum ibi venerari malunt quam sedentium in conciliis Patrum imperitiæ succensere.

At enim dixit Christus: *ubi duo vel tres Congregati fuerint in nomine meo, Ego in medio illorum sum.* Verum est: sed quando fiant Congregationes in nomine Domini purè ac sincerè, nec ullatenùs in nomine Carnis, Avaritiæ, Ambitus ac Superbiæ;

perbiæ; novit ille solus qui corda hominum novit. Ipse à. admonuit: *A fructibus eorum cognoscetis eos.*

Idem igitur Clementi V. in suo Viennensi Concilio contigisse facilè credam, quod olim Caiphæ super Christi Domini morte opinanti & incogitanter prophetanti accidit: *qui cum esset Princeps Sacerdotum anni illius, dixit Pharisæis: vos nescitis quicquam; nec cogitatis, quia expedit nobis ut unus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat. Hoc a. à semetipso non dixit,* subjungit Evangelista, *sed cum esset Princeps Sacerdotum anni illius prophetavit,* &c. Joan. 11. c. 49.

Sic igitur quod de Corporis informatione ab Animâ humanâ definivit Clemens v. de illo proprio & æternum conjuncto Animæ Corpore sydereo rectè poterit intelligi ab ijs, qui Peripateticis siliquis devorandis non prorsus assueti cœlestem illum cibum absque nauseâ concoquere valebunt. Cum n. & à principio Creationis suæ flammeo illi

illi corpori unita sit ab ipso naturæ opifice Anima, nec ulla unquam fati acerbitate separationem ab illo passura; nullum apparebit inconveniens formam cœlestis illius Corporis Animam nuncupare, quod ex purissimo lumine conflatum, internam tantum quantitatem in se continet, quâ partes sunt extra partes: nec ulla dabitur impiis ansa contra perpetuam Animæ subsistentiam ac immortalitatem argutandi, quæ cum tali Corpore Mundanum hominem in æternum constituit. Sed de his fusiùs, ubi in tertia hujus operis parte, de Animæ in Corpus terrenum descensu disseremus.

Æbuti.

Ad quid talia, multâ arte, comminisci effugia, ad declinanda Ecclesiæ in generali concilio congregatæ fulmina; quasi non satis apertè sensibilis ac mortalis hujus Corporis formam asseruerit Pontifex esse Animam. Platonicis, fateor, minùs arridet ista doctrina, sed obsequium exigit, ac fide tenenda tra-

traditur corde credenda, & ore confitenda; nisi quis hæreticus audire vereatur. Ideoque nil tibi auxilij superest nisi cum Ulpiano dicere; *Planè hoc perquam durum est: sed ita lex scripta est.* *L. Prospexit. 12. St. 1. Qui & à quib. ma.*

Gaderus.

Imo tu recordare effati Sapientis: *Qui multùm emungit, elicit sanguinem*, nè nimium urgendo, responsiones elicias haud omnibus placituras.

Sanè inter tot humanos errores & Mundi illusiones, plurimum expedit sanctam Dei Ecclesiam tanquam piam Rebeccam, filijs suis Regnum Dei pro credito sibi talento promovere verentibus, ne ab occupantibus antiquissimam Christianæ Religionis sedem execrationes ac diras pro benedictionibus accipiant, eandem fidejussionem promittere, quam primæva pollicebatur Jacobo Rebecca dicens: *Super me sit ista maledictio, fili mi; tantùm audi vocem Dei.*

Plurimoque certè odio dignæ

ſunt illæ Thomiſtarum, Scotiſtarum ac ſimilium Sophiſtarum Sectæ, quæ inſanabili diſputandi cacoethe vexatæ, dum mellificarum apum laboribus ſaturæ curis vacuam in ſeptis ſuis vitam degunt, nil antiquius habent quam luci fidei per novorum dogmatum cuſionem tenebras offundere: ita ut ſi quando ſolennis Epiſcoporum Conventus contingat, nullum non moveant lapidem ſummâ æmulatione ſingulæ, ut ſophiſticum virus quod diu in Scholis decoxerunt, per publicarum Sanctionum canales in totam Republicam Chriſtianam effundant: quaſi in Rebus Religionis, ſicut in Civilibus Judiciis Res judicata pro veritate habeatur. Quod ſi Eccleſiaſtici Conſeſſus occaſio non ſatis opportunè ſe obtulerit, miſeri illi Malchi quotidiè Pontificis aures immenſitatis Potentiæ ſuæ jactatione obtundunt (*facere enim poteſt de quadrato rotundum*, inquit Nic. de Tedeſcis) ut ad nova illa Religionis commenta miſeræ plebi obtrudenda Decre-

Decretalem ab eo Epistolam extorqueant : ubique decantata illa verba inferentes : *Pastor æternus qui dixit Petro, pasce oves meas, non has aut illas, sed universas* : nusquam verò memoriæ ipsius obijcientes illa alia, ab eodem Æterno Pastore eidem Petro exprobrata : *Vade post me Satana, scandalum mihi es, quia tantùm quæ carnis sunt sapis, non quæ sunt Dei.*

Et ideo quia in hoc ferè solo novorum dogmatum & superstitiosarum adinventionum articulo diversæ illæ Sectæ consentiunt, quod Papa omnem habeat in spiritualibus & temporalibus ubique potestatis plenitudinem : ex proprijs earum visceribus suscitavit viperas adversos illos Justitia Dei, quæ nusquam ferè inter se consentientes nisi in credendo quod Pontifex Romanus est Anti-Christus, insanabili morsu assentatores ejus sauciarunt, & ex amæniſſimis Mundi Regionibus fucos illos exegerunt, ubi tot ades magnificas suaviſſimos hortos ac opimos proventus ex piâ populo-

rum credulitate occupaverant, dum fundamenta Jerusalem stabant in montibus sanctis. Nunc verò ibidem in religionis ruinis, et inter subversas pietatis ædes, viæ Sion lugent, eo quod non sint qui veniant ad solennitatem, ac projecti cernuntur lapides sanctuarij in capite omnium platearum, propter peccata Prophetarum ejus & Sacerdotum ejus; quæ non magis ab effreni affectuum impetu quã à densâ intellectûs caligine causam habuere: quippe Omnis peccans ignorans. Ideoque Artem illam Syllogisandi Scholasticam Theologiæ applicatam, quæ nil nisi errores in mentem inducit, prudenter comparavit D. Hieronymus plagæ Ægypti pessimæ; docens: *Per Cyniphes intelligendam esse Dialecticam, quæ licet parvum reipsa videatur habere seductionis aculeum, humanas tamen mentes gravissimè saucíat.*

Ne mihi igitur oculos habenti cæcum illud inculces obsequium erga quempiam hominem; siquidem mendaces omnes asserit Scriptura, nec

nec unus est qui faciat bonum non est usque ad unum : Sed patere potius tam liberè circa Philosophica quævis argumenta bona fide & ex solidis & Principijs differere, ac super ipso nobis proposito subjecto de Anima sibi licere judicavit D. Augustinus dicens. *Quisquis Animam, sicuti est, non esse Corpus sed Spiritum confitetur, & tamen in filios ex parentibus duci : in eo quidem nullis coarctatur erroris angustiis, quod omnes Animas etiam parvulorum, quos Ecclesia non utique in falsâ sed in verâ peccatorum remissione baptisat, vera fides prædicat trahere originale peccatum proprio primi hominis voluntate commissum, & in omnes posteros generatione transmissum, ac salâ regeneratione purgandum. Sed cum considerari & pertractari cœperit quid dicatur, mirum si ullus sensus humanus comprehendit quonam modo tanquam lucerna de lucerna accensa sine detrimento alterius alter inde ignis existit, sic Anima de Anima parentis fiat in prole vel traducatur in* Lib. De Orig. Animæ.

prolem. Utrum incorporeum semen Animæ suâ quâdam occulta & invisibili via seorsum currat ex patre in matrem cum fit conceptus in fœmina? An quod est incredibilium in semine corporis lateat. Cum a fluunt irrita sine conceptibus semina, utrum semen Animæ non simul exeat, an summâ celeritate & temporis atomo inde exierat recurrat, an pereat? Quod si perit: quomodo ipsa cujus mortale semen sit immortalis sit Anima? An immortalitatem tunc accipit quando formatur ut vivat, sicut Justitiam quando formatur ut sapiat? & eo pacto fingat eam Deus in homine quamvis Anima seminaliter trahatur ab Anima, sicut fingit in homine corporis membra quamvis corpus seminaliter trahatur à corpore. Quibus omnibus diu excussis tandem addit: Cum hæc atque ejusmodi multa quærantur, quæ nullo sensu cordis probari possunt, & à nostra experientiâ longè remota sunt, atque in abditissimis naturæ sinibus latentia; non erubescendum est homini confiteri quod nescit, ne dum se

scire

scire mentitur, nudquam scire mereatur.

Vide nunquid valdè paratus fuisset celebris ille Doctor ad definiendum Animam esse humani corporis formam, & hæreseos notâ inurendos illos qui credere recusassent. Sed mortui erant Clementis quinti tempore cordati homines, nec nisi sæx præcedentis ætatis supererat. Vide inquam, nunquid novæ alteri de Astronomicis Hypothesibus Censuræ assensurus fuisset idem sanctus Doctor, qui de Animabus Cœlestibus sic loquitur in Enchiridio suo: *nec illud quidem certum habeo utrum ad eandem Angelorũ societatem pertineant Sol & Luna cunctaque sydera, licet nonnullis lucida tantum esse corpora nullo sensu vel intellectu prædita videantur.*

Ubi sanè ostendit nondum ita extinctam suo sæculo veræ Philosophiæ facem, quin animata liceret agnoscere sydera, Mundumque ingens Animal cum Platonicis existimare potius quam materialem

tantùm domum cum Peripateticis: licet isti jam in ipso magistro suo deteriores sententias tueri affectarent, stellasque non nisi lucentes vitri aut æris globos esse vellent, quamvis Aristoteles docuisset *Cœlestes sphæras desiderare & intelligere nobiliori modo quam nos.*

xi. *Metaph.*

Æbuti.

Atqui nonne æquum erat, increscente indies Christianæ Sapientiæ lumine, solvi dubia, & definiri incerta, quæ ex antiquorum infidelitate remanserant.

Gade.

Putas igitur, bone vir, puriores in ostijs fluminum aquas quam in fonte hauriri? nec dubitas incrementum tibi fingere Christianæ Sapientiæ, inter exsurgentes in dies novas avaritiæ & ambitus ac Mundani luxus artes? Dic potius, increscente iniquitatis mysterio, & descendente cum ira magnâ in terram Diabolo, qui novit quod modicum tempus ei superest; præsumptionibus humanis, (ut loquitur D. August.) Sophisticis elenchis

chis & superstitionum formulis, apicum humani juris implicationibus & litium anfractibus inundatam paulatim pristinam Ecclesiæ faciem, & deletam prorsus antiquæ Sapientiæ Idæam: ut absque diuturnâ Geometricarum demonstrationum & Physicarum observationum serie, unica Aristotelis methodo brevi in laureatos Doctores evaderent viles Animæ, quibus de veritatis elucidatione nulla cura est, sed de congerendis quavis arte pecunijs, infulis assequendis, & libidinibus sectandis. Qui Philosophandi mos ut facilius in Christianâ Republicâ obtineret, similesque haberent labra labrusca, decuit usque ad Catholicæ fidei thronum futiles Sophistarum conceptus & Scholarum opiniones evehere: ne si fortè bonæ mentis vir quispiam dissimulato stomacho inter Sophistarum turmas in Patriarchalem sedē aliquando irrepsisset, Sapientiæ humi jacenti & inter aranearum telas sepultæ manum auxiliatricem porrigeret. Quam injuriam diu

passa Divinæ Sapientiæ longanimitas, labentibus tandem seculis, ex terribili Novenarij Numeratione immisit in prophanam istam generationem immensos Serpentium Regulorum exercitus, adversus quos nil prodesset incantatio; libenterque passa est, ut olim Augustissimū in Jerosolymis templum suum ab Assyrijs, sic postremis Ecclesiæ sæculis Catholicam pietatem à Septentrionalibus & Occiduis populis magnâ ex parte subverti, ut vel cum proprij honoris à fidelibus exhibiti jacturâ illatam ab hypocritis sancto nomini suo contumeliam ulciscereturr.

Author

Authoritates quæ Animæ per se subsistentiam ante Corporis ingressum ostendunt.

Sect. IIII.

Æbutius.

DIu cum peritiâ nec sine stomacho contra Pontificias de rebus magnis definitiones invectus es, verùm non eousque progressus es, ut vel unum Sacrarum Scripturarum, vel antiquorum Ecclesiæ Patrum locum indicares, unde ad impugnandam Clementis v. Pont. Max. definitionem machinæ erui possent. Nec tamen in Christianas mentes facilè illapsuram propriæ Animæ subsistentiæ sententiam expectes sub Platonis, Procli vel Plotini afflatibus, nisi annuentes habeant tum Christum ipsum, tum Prophetas ejus & Ecclesiæ Doctores aliquot insignes.

Gade.

Quod nec Scholis nec vulgo Doctorum

ctorū iſta nobilis ſententia plurimū arrideat, ex propriâ rerum præſtantiſſimarum naturâ contingit, quæ ut plurimum humilibus ingeniis non patent, qualia plerumque in vitæ communis directione poſita invenire eſt, quoniam ingentes Animæ publicas adminiſtrationes pro duro ſervitutis jugo reputant, quas mediocres Genij ſub ſummi boni ratione intemperanter ambiunt.

Quod a. ad Prophetas attinet, qui ipſo Spiritus Sancti lumine illuſtrati nihil privatarum rationum, nihil humanarum conſiderationum in Oraculis fundendis attendunt, ſed tantum Orientem ex alto Æternæ Sapientiæ radium inſpiciunt, ſanè facilè eſt ipſos Platonicorum cohortibus Duces præficere, ipſumque Chriſtum Jeſum in Protectorem vocare, ad veritatis Lucem adverſus Tenebrarum Poteſtates ſub quarum ſignis militant Sophiſtæ, tuendam, & in Filiorum Dei Animas inducendam.

Primus igitur incedet ille qui mortales

mortales omnes Sapientiâ præcessisse non dubitatur, cujus adeo perspicua exstant eâ de re verba in Ecclesiaste, ut nemini non probentur qui omni cavillatione omissâ veritatem undequaque venientem in animum inducere paratus sit. *Laudavi*, inquit, *magis mortuos quam viventes, & fœliciorem utroque judicavi qui necdum natus est, nec vidit mala quæ sub Sole fiunt.* Vel si magis arridet verborum tenacior Pagnini interpretatio: *Laudavi ego mortuos qui jam mortui sunt, supra vivos qui ipsi vivunt usque huc. Et melior utroque qui usque ad huc non fuit, qui non vidit opus malum quod fit sub Sole.*

Æbut.

At enim verba illa nullatenus exprimunt Animam ante ingressum in corpus subsistere.

Gaderus.

Quis est igitur ille & vivis & mortuis fœlicior qui aliquando nasciturus est? nisi forte eum qui jam in utero procreatus, necdum tamen in lucem editus *portio adhuc censetur*

L. 1. §. 1 De inspic. vent.

tur viscerum matris (ut loquitur Ulpianus) usque adhuc non fuisse existimes, ut loquitur sacer textus; fœlicemque illum censeas qui tantâ jam calamitate premitur, lucis tùm externæ cum internæ usu privatus, ut vix quempiam eorum qui spirant tam profundè in miseriarũ centro submersũnanciſci liceat, qui fœtûs in materni menstrui limo jacentis sortem acerbissimo mortis generi prælaturus sit. Si verò de illo loquitur Sapiens qui nondum terreno carceri ullatenùs mancipatus est, ut ex sacri textus verbis dilucidè patet: quid absurdius dici possit, quam fœlicius esse id quod nusquam est, homine ad imaginem & similitudinem Dei creato, qui in hoc Mundo tanquam in Providentiæ Dei theatro, videt plurima, & patitur etiam nonnulla ex his malis quæ sub solis gyro patrantur.

Æbut.

Habesne quempiam alium hujus veritatis testem: ut *In ore duorum vel trium testium stet omne verbum.*

Gade.

Gade.

Habeo Philonem vel quemcumque volueris libri Sapientiæ Authorem laudare.

Æbut.

Non ubivis terrarum admittetur huius libri Doctrina, quem inter Apocryphos numerant illi omnes qui ab Ecclesiæ Rom. Unione desciverunt.

Gade.

Certè nec Pontificij Theologi inter Deuteroeanonicos reponendum negant, cum Epistolis Apostolicis quibusdam & plerisque sanctis libris, qui vel in Hebræorum Canone non reperiuntur, vel inter Ecclesiæ Christianæ documenta publica, ab initio temporis quo edita sunt inconcussâ fide recepta non sunt. Verùm Apocryphi nomen nec Sapientiæ nec pietatis defectum in illis libris, sed tantùm Authoritatis ac fidei imminutionem arguere melius nosti, o Bone, quam ut admonendus sis. Et sanè nunquam eò progressa est tota Peripatetismi audacia, ut librum quam-

quempiam ex incude sua inter Hagiographos quantumvis Deuterocanonicos recensere auderet, quamvis tot nova dogmata in vim Articulorum fidei transire fecerit; quia scilicet *viæ vestræ nullatenus sunt viæ Dei, neque cogitationes ejus cogitationes vestræ.*

Philonem vero Platonicum licet omnes Eruditi Sapientiæ Libri Authorem agnoscerent, non ideo minùs viri sancti inter Propheticos libros opus ejus numerarunt: quoniam summâ fide famulatur Divinæ Sapientiæ Platonica Philosophia. Is igitur est qui ad tuendam naturalem Animæ subsistentiam ait: *Animam sortitus sum bonam, magis verò bonus existens veni ad Corpus incoinquinatum.*

Æbutius.

Sed noverat & Clemens v. quid ferret Sapientiæ liber, dum in Viennensi Concilio Animam esse Corporis humani formam definivit, quo fit ut ex ejus definitione verborum illorum interpretatio sumenda sit.

Gade.

Gade.

Noverat & fœliciori Eccleſiæ ſæculo D. Hieronymus non Salomonis eſſe librum illum ſed Philonis Platonici inſignis, ac ſumma veneratione digni: qui ſi Clementis temporibus inter vivos fuiſſet, nec Animam eſſe terreni Corporis formam admiſiſſet unquam, nec Viennenſe Concilium Clementi ac Sophiſtis ejus adſtipulari paſſus fuiſſet: ſiquidem Paphnutius longè Philone minor Nicænum Concilium Viennenſi longè auguſtius ad propriam ſententiam revocare valuit.

Æbuti.

Parciùs iſta viris. Audacter nimiùm de Supremis Eccleſiæ Poteſtatibus judicas.

Gade.

Neminem judicandi, tantùm Philoſophicè diſſerendi tecum animus eſt, o Bone. Ac quamvis ſuavem illam verborum urbanitatem & animi lenitatem ſummi hujus ſæculi Philoſophi P. Gaſſendi non perferat Genij mei vehementia, haud minùs

minus tamen, quam prædicet Sapiens ille vir, Omnia quæcunque in disputationem trahuntur, excutiendi causâ & veritatis inquirendæ tantum studio agito. Et licet juxta receptum differendi morem affirmativè passim loqui videar, longè tamen abest ubique mens mea à constituendo aliquo dogmate; in hoc quippe solum intenta, ut veritati in abysso tam profunde latenti aditum patefaciam, & amore ejus qui se Viam, Veritatem & Vitam esse docuit, filios lucis è tenebrarum tyrannide pro concessâ mihi Sapientiâ eruam. Quippe statim præteterit figura hujus Mundi, & antequam effluat generatio hæc, *Erit novum solium in solis Potestatum Mundi, nova ætas in ætate, novus Mundus in Mundo, & cognoscent omnes habitatores ejus quod Deus est Regnator Altissimus.* Quadraginta quippe annorum quadragenæ impiæ Mysterij iniquitatis Ninive concessæ protinus elabuntur; Regnumque Christi primis quadraginta nascentis Ecclesiæ annis adumbratum

tum in longa sæcula extendendum imminet, ubi cessabunt Sophistarum argutiæ & humanarum mentium illusiones. *Regem autem in decore suo videbunt oculi tui*, ut prædixit Isaias : *populumque impudentem non videbis, populum obscuri sermonis ita ut non possis intelligere, vidiculum linguâ absque intelligentia.* cap. 33. ms. 17. 19.

Æbuti.

Edissere plenius ista, quæso.

Gade.

Erit alius dicendi locus. Tertium volo sententiæ meæ assertorem inducere ipsum Dominum Jesum.

Æbuti.

Quo loco ?

Gade.

Matthæi xxvi. vbi de parricidâ proditore Judâ loquens asserit, quod *Bonum erat ei si natus non fuisset homo ille.*

Æbut.

Non videtur igitur tibi melius nunquam fuisse, quam Christum Dominum perfidè prodidisse ?

Gade.

Gade.

Quamvis melius procul dubio fuisset tam execrandum nefas non admittere; nullatenus inde sequitur, quod Bonum aliquod fuisset ei qui prorsus non extitisset. Quod n. Bonum non enti? aut quod grandius malum vel per intellectum fingi potest quam non esse: siquidem non ens malum est extremos omnes miseriarum terminos excedens, & omnium jacturarum, destitutionum, degradationum, spoliationum, mutilationum, defectuum, miseriarum, anxietatum, mortium, abyssus. Verùm aufer larvam Sophisticam Animæ corpus informantis, & in elementis de novo creatæ: profectò Bonum erat Animæ Judæ, si Causarum series ac Divina decreta nec tali temporum periodo, nec in tali Mundi regione terreni corporis vinculis eam mancipassent, ubi obvia foret occasio tam horrendum scelus admittendi.

Sanè mirari subit quomodo homines bonæ mentis ac eruditione pleni ubique advertant Platonicum discur-

discursum sacra Prophetarum & Apostolorum eloquia quasi naturali congruentiâ & harmonico consensu amplecti: Peripateticum è contrà nusquam ad illa nisi dirâ cavillationum & violentarum interpretationum carnificinâ miserè torta posse accedere: nec tamen aliam nisi inimicam Divinæ Sapientiæ methodum ad veritatis inquisitionem publicè inter Christianos excoli.

Æbut.

Sed quis ex veteribus Ecclesiæ Patribus tuo aliquando sensu sacra Eloquia interpretatus est?

Gade.

Unus quem centum Leonibus & Gennadiis aliisque minorum Gentium Dijs anteponere non dubitem maximum Origenem.

Æbut.

A totâ Romanâ Ecclesiâ ideo damnatum?

Gade.

Et ideo à Probatissimo Rom. Ecclesiæ Doctore D. Hieronymo contra totam Rom. Ecclesiam generosè

neroſè defenſum. *Ille eſt*, inquit, *quem poſt Apoſtolos Eccleſiarum magiſtrum nemo niſi imperitus neget. Qui plura ſcripſit quam vix quiſquam legere poſſit. Et pro tanto labore quid accepit præmii? Damnatur à Demetrio Epiſcopo, & in damnationem ejus conſentit Roma ipſa; contra eum Senatum cogit, non propter dogmatum novitatem, non propter hæreſim, (ut nunc adverſus eum rabidi canes falſo ſimulant) ſed quia gloriam eruditionis ejus ferre non poterant.* Certè ſi ex præſenti luxu ac ambitu de Genio tunc Romæ vigente quicquam conijcere licet, non magis in eruditione ac eloquentiâ ejus quam in vitæ inſtituto & moribus invidiæ cauſa ſubeſſe potuit. *Obtinebat enim* inquit Euſebius, *ut non ſolum in verbo eſſet illi perfecta Doctrina, verùm etiam in opere apparerent conſummatæ diſciplinæ exempla: ita ut diceretur de eo: quis hic eſt qui quale habet verbum talem habet vitam: qui quæ docet agit, & quæ agit docet?*

De præpar. Evang. lib. 6.

Verum nec aliter Platonicus dici

t meritus

meritus esset. Est enim illa contemplativæ Sapientiæ (quam Platonicam dicimus, quia solius ferè hujus veri Philosophi opera nobis præ manibus sunt) data à Deo efficacia, ut & in arduis negotijs humanum animum per summam constantiam, prudentiam ac moderationem suprà vulgi rationes & Politicas astutias extollat; atque in privata morum directione nobile ac egregium vitæ institutum à communis vitæ corruptelis & illusionibus remotum etiam inter maximas rei familiaris angustias, superborum contemptus, imperitorum censuras & invidorum persecutiones, sectatorem suum servare inducat, objecta illi tam perspicuâ veri boni & æternæ pulchritudinis effigie, ut non amplius vel falsarum voluptatum, vel gloriæ Mundi fascino pateat, nec usquam Regalis purpuræ ac splendoris Magnatum intuitu ad vitiorum excusationem aut veritatis dissimulationem invitetur. Rusticus prorsus ac inurbanus, ubi Aulæ corruptelis assentandum est; nobilis

nobilis ac verè magnanimus, ubi Regis Regum gloria, vel proprij sanguinis effusione, à vilium Mundanæ vanitatis mancipiorum contemptu vindicanda est. Novit n. cui credidit; seque quicquid habet, non ab hominibus sed à Deo accepisse recordatur; nec capillum de capite suo eafurum, sine speciali Patris æterni Providentiâ.

Talis igitur fuit Origenes, & quia talis erat abjectis mentibus placere non potuit. Doctrinam Christi Domini sectatus est, non attendendo quomodo Aristotelis doctrinæ cohæreret, & ideo à Sophistis, Aristotelis Orcinis servis damnatus est. Sic igitur libro Periarchon 1. cap vii. Salomonis, Philonis ac Christi doctrinam de animæ subsistentiâ tuetur. *Ego quidem suspicor extrinsecus insertum esse stellis rationabilem spiritum. Si enim hominis Anima quæ utique Animabus stellarum inferior est, dum hominis Anima est, non cum corporibus facta est, sed extrinsecus propriè probatur inserta : multo magis Animæ cœlesti-*

cœlestium Animantium.

Æbuti.

Etiamsi Origenis Authoritatem aliquatenus elevare non est animus; nisi tamen in subsidium alios ex antiquis, Ecclesiæ Patribus accersas nequaquam solus omnem numerum expleturus mihi videtur.

Gade.

Jam igitur illustris ejus Discipuli excidit memoria, qui à stupendis effectibus Taumaturgi nomen est adeptus; cujusquidem verba in prima hujus Colloquij parte relata sunt. Jam Basilij, Seleucij, jam magni Cypriani oblitus es, qui omnes ad eandem sententiam collimarunt? Sed quid Aliud sentit sanctificatus ab utero vates Jeremias, dum ait: *Audite mulieres verbum Domini: ascendit mors per fenestras nostras, ingressa est in palatia nostra.* Quid aliud sonant ista Pauli verba: *Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius* Quid aliud sentit Jacob Pharaonem sic alloquens: *Dies annorum peregrinationum mearum centum & triginta anni, & non*

attigerunt dies annorum vitæ patrum meorum in diebus peregrinationum suarum. Nunquid pars domûs constituendus est ille qui habitat in palatio, & respicit per fenestras? Nunquid qui de ergastulo liberari optat, ergastuli ipsius pars est? nunquid qui peregrinatur non est aliquando domo propriâ egressus, seque in suavissimam patriam & propinquorum amplexus aliquando reversurum sperat.

Æbuti.

Sed non præcisè loquuntur ista loca.

Gade.

Nec ego præcisè hujus operis initio asseveravi me cum animali rationis compote colloquium inchoare, quia dubium esse non putavi.

Non asseruerunt præcisè sapientes viri illi quod apud omnes constabat, quia nondum bonam mentem hominum Aristotelis Logica subverterat.

Æbuti.

Si non aliis rationibus hâc saltem Clementis v. decretalem ac Vienense

nenſe Concilium tueri liceat, quod nuſquam dixit hæreticum prorſus eſſe cenſendum illum qui Animam intellectivam eſſe humani corporis formam non admiſerit, ſed *tanquam hæreticum eſſe cenſendum:* ut omnes Eccleſiæ filios admoneret, non temerè in ſententias à Scholâ communiter receptas inſurgendum eſſe.

Gade.

Perbellè hoc: ſic enim cum Generalibus inferioris Germaniæ Ordinibus tractare conſenſit aſtuſiſſimus ille Hiſpaniæ Rex Philippus ii. dum viribus fractus pudendam pacem æterno bello præferre coactus eſt. Tulit enim cum illis fœdus inire tanquam cum libero populo: proteſtatus poſteà Juri ſuo ſupremi in illos Dominij clauſulam illam nequaquam obeſſe; quippe qui nuſquam cum libero populo de pace egiſſet, ſed cum ſubditis, eo modo quo illi cum libero aliquo populo agendum fuiſſet.

Æbuti.

Et hoc non videtur tibi ſummo prudentiæ dictamine conceptum.

Gade.

Ariſtotelicæ, Sophiſticæ, Machiaveliſticæ, futilis, fateor: Platonicæ, Solidæ, naturalis, veræ, Divinæ, nego.

De

De Anima Humana Naturâ & vero ac reali eius tum in corpore hoc terreno, tum extra Corpus statu.

PARS. III.

De Silentio Pythagorico.

Sect. I.

Æbutius.

TOt tantaque de Peripateticorū vanitate & ludicro Philosophandi modo sapienter disseruisti, quibus nulla solidâ ratione obviam ire me posse ingenuè fateor; tot miranda verèque augusta de Philosophia Platonica prædicasti, quornm nonnulla jam olim subolui vestigia; ut planè dissipatis illis præoccupationum tenebris, quæ diu mentem obsedere, facilis mihi ad vos sit transitus, si ad Platonis & veterum Sapientum intelligentiam clarior

per te aditus pateat: ut n. nihil apud cordatum virum dissimulem, illud me jamdiu à Platonis studio deterruit (& fortè innumeros alios deterret) quod ipse grandia loquens plerumque non vult intelligi.

Gade.

Fateor; & plures causæ sunt, o Bone, à Sapientibus haud leves existimandæ. Veruntamen inter umbrosa illa symbolorum nemora, plures feracis glebæ & apertæ eruditionis interjacent amænæ planities, quam in toto Aristotele; cujus nunquam satis plana sunt verba, nisi ubi tota veterum Sapientia cavillationibus ac calumnijs incessenda est.

Æbuti.

Quæ justa Platoni potest subesse causa veritatis non manifestandæ?

Gade.

Eadem quæ ipsi Christo Domino fuit præcipiendi: *Nolite dare Sanctum canibus, neque proijcere margaritas ante porcos.* Patet omnibus, fateor, Sophistica Aristotelis me-

methodus : ſed & patent etiam omnibus proſtitutæ pudicitiæ mulieres, quæ vili pretio voluptatem vendere paratæ ſunt quam præſtare nequeunt. Sic & Ariſtotelica methodus Sapientiam omnibus vili pretio oſtentat, quam nemini præſtare potis eſt. Quod ſatis oſtendit ſolennis Sophiſtis argumentandi modus: qui dum quidpiam rationis ſuæ captum excedens prædicari audiunt, ſtatim ad probandam ejus impoſſibilitatem ſic inſurgunt : aut hâc aut illâ viâ fieri quod proponis neceſſe eſt. Atqui neutrâ poteſt ; Ergo eſt impoſſibile. Quod ſi majorem negaveris, ſciſcitantur ſtatim ignari, quo igitur modo? quaſi vilibus animis Naturæ arcana propalare tenearis, quæ nec modeſtè nec ſapientiæ amore exquirunt, ſed ſuperbè & adarripiendam cavillandi anſam. militibus gregarijs viarū obſeſſoribus ſimiles, qui Eleemoſynam à prætereuntibus educto gladio minaciter emendicant. Paucos admittit, & Abcondita eſt turbis Platonis Sapien-

tia; ſicut abſconditæ & ſunt pudicæ virgines, quæ non niſi ex ſinceri amoris & ſancti conſortij lege in generoſi viri manum conventuræ ſunt. Poſt impudicas mulieres vilis plebs paucis terunciis inſtructa undique audacter ruit: nobiles virgines nemo niſi & natalium ſplendore & animi dotibus conſpicuus ambire tentat. Ità ad Peripatiſmum ignobile vulgus Grammaticæ præceptis leviter imbutum per turbas ingentes quotannis ruit, & Sacerdotiorum ſpe, armentorum in paſcuis curam, ac fabrorum officinas dimittit: ad veram Sapientiam & Platonicam Philoſophiam nemini accedere licet, niſi puritate ingenij, ſuavitate morum, generoſo animo, & excelſâ mente prædito, naturaliſque hiſtoriæ inſuper peritiâ, & ſolidiſſimis totius Matheſeos principiis apprimè inſtructo. Eſt n. appoſita Scholæ noſtræ frontiſpicio Lex iilla; ὐκ ἀγεωμετρήτῳ ἰσιτω.

Æbuti.

Nec Geometriæ, nec Optices, nec Arithmeticæ, nec Muſicæ, nec Aſtronomiæ,

nomiæ, nec Mechanicæ ignarus fum: quid incæteris de me judicaturus fis, nofti. *Gade.*

Nihil vel in ingenio vel in moribus arguendum video, fi quidpiam veteris Sophiftarum fermenti ritè expurgatum fuerit; juxtà monitum à Chriſto Domino Apoſtolis ſuis traditum. *Æbuti.*

Quid hocce eſt?

Gade.

Vani tumoris & amoris proprij nonnihil. Spem facis concedendi in partes noſtras quaſi Sectatorum turbam ambitioſè quærat Philoſophia noſtra : & ad ipſam acceſſurus tibi videris, veluti alicui compendio ipſi futurus. Aliter ſanè ſe res habet. Paucos admittit Schola noſtra diſcipulos, quia pauci *Sapere* norunt; auci quibus dicere iceat.

----- *Et te quoque dignum*
—Finge Deo.

Pauciores etiam ingredi expediret, ne quandò elargitis à Divinâ Sapientiâ donis aliqui abutantur. Certè uno plus ſatis in Scholam ſuam admiſit Divinus Philoſoph ſ. *Æbuti.*

Quem ? F 5 *Gade.*

Gade.

Illum qui Magistrum optimum calumniis incessivit, qui omnem Antiquorum Sapientiam, corrupit, qui Patriam prodidit, qui clarissimū omnis memoriæ Regem suique amantissimum discipulum veneno sustulit, qui toti humano generi à bis mille annis, mendaciis ac Sophismatis illusit.

Æbuti.

Querentur Sophistæ quod nimis injuriosè in magistrum illorum inveheris.

Gade.

Sic mulieres quæ thori fidem publicè violant, actionem de Injuriis instituunt adversus eos qui meretrices ipsas vocant; sic Tyranni reos majestatis faciunt eos qui Tyrannos appellant; sic latrones pugionem ijs intentant qui de malè partis ipsos insimulant; sic superstitionum ac errorum fautores impietatis eos damnant, qui ipsorum ludificationibus cæcum præstare assensum detrectant; vide quantâ ratione Pilato respondit Æterna Dei

Dei Veritas humanâ carne induta, *Regnum meum non est de hoc Mundo.* Sed certè jamjam ferè prorsus præterit illusoria illa Mundi figura in quâ non est Regnum Veritatis.

Æbuti.

Quod benè vertat. Sed heus tu ! Causas Platoni Plures dixeras esse veritatis non propalandæ ; quam existimas alteram fuisse, post ipsam ejus dignitatem vulgò non prostituendam ?

Gade.

Alteram putabam te ex præcedentibus satis percepisse. Non docent nostri garrire in scholis, & æternùm disputare : docent scire, & operari ; dubitantemque de firmitate rationum jubent experiri, & per totum Mundi ambitum, Theorematum sibi ostensorum veritatem in effectibus contemplari. Ideo in tantam segetem crescere patiuntur Sophistas supernæ illæ Virtutes quibus demandata est à supremo Opifice Vniversi Cura : quia se. nihil supra miseræ mortalium Sortis captum viles illæ animæ tentaturæ sunt

sunt, nec unquam prohibituræ quin Dii Gentium regnent super illas: Luxuriantem verò aliquantulùm veræ sapientiæ propaginem innumeris quotide & mirabilibus modis coercent, ne *Sapientia confortet Sapientem super Decem Principes Civitatis hujus Mundi.*

Æbut.

Cur patitur hoc Summus Naturæ Arbiter?

Gade.

Quia singulas Naturas proprijs dotibus, Virtutibus ac Potestatibus non aliam ob causam decoravit, nisi ut concessis sibi facultatibus secundum naturæ suæ conditionem uterentur; & inferiores superioribus subijcerentur; æquales nunc se se mutuò foverent, propter similitudinem, nunc sibi adversarentur, propter contrarietatem. Præterea pessimum est animal Homo, qui nunquam ferè imperio benè utitur; sed quo plus potest, eo magis nocet, & aliis, et sibi ipsi. Est n. optimi corruptio pes

pessima. Salomon ipse lapsus est. Et insanæ superbiæ reum faciunt quidam illum qui in harmonico atomorum motu artem nactus fuerat, quâ pollicebatur:

Pharmaca queis pellas morbos, levesque senectam
Percipies, (qua cuncta tibi communico soli,)
Compescesque truces Ventorum ritè procellas
Exorti insanis vastant qui flatibus agros.
Rursum si libeat mox flamina pigra ciebis,
Et mediâ duces è tempestate serenum.
Induces arida pluvias æstate salubres
Et flatus sicca qui perflent omnia messe.
Extinctumque hominem nigro revocabis ab Orco.

Nec minùs pudoris offudit Sapientiæ Nazarenus ille Jesus Rabbi Jehos. Perahiæ discipulus, sub Rege

Rege Hircano capite plexus, qui Judeis occasionem calumnandi Christum Dominum præbuit, & Apostolici Symboli Scriptores ad exprimendum adegit, quod *Passus erat sub Pontio Pilato* Jesus Dei filius; ut centum ac decem annorum intervallum impudens Verporum mendacium argueret.

Neque tamen ideo convenit ab humani generis commercio Sapientiam exulare, quia pauci conversatione ejus digni inveniuntur; sicut nec eradicantur vites, quia plerique vino inebriantur; neque corrumpitur arte naturalis mulierum forma, quia libidinem in pleriſque accendit; neque supprimitur ignis usus, quia non raro incendia suscitantur. *Omne magnum exemplum* tam in Naturali quam Civili Politeiâ *habet aliquid ex iniquo, quod in singulos utilitate publicâ rependitur.* Emissus à Deo Spiritus ad deducendum Hominis Intellectum per viam lxxij. litterarum tertio repetitarum, in quâ totus ordo Naturæ ac Sapientiæ patet expressus,

sus custodiet illum à laqueo venatoris, à lue corruptionum & à peste quæ in caligine ambulat, si sedulò observaverit illum, & audierit vocem ejus.

Æbuti.

Deus Bone! Jamjam Platonicum agis, & obscurius ipso magistro tuo loqueris. Ego me prorsus indignum ad sacra vestra accedere bona fide agnosco, ego summi beneficij loco habiturum quod docueris profiteor; ego nusquam altis illis Sapientiæ arcanis abusurum polliceor. Edissere apertè.

Gade.

Silentij igitur Pythagorici votum emitte.

Æbut.

Quid continet?

Gaderus.

1. Nusquam futilibus objectionibus & Logicis cavillationibus differentem interpellare: (oportet n. discentem credere, & ambiguitatum inchoati sermonis à fine solutionem expectare) 2. Præclara & à vulgi mente remota nusquam

quam in publicum effutire, sed inter Sapientes tantùm enuntiare. 3. Postquam dederit tibi Deus *cor sicut arenam maris innumerabilem*, ut de Salomone loquitur Scriptura, hoc est, quando extensus fuerit intellectus tuus ad vastitatem universi (nunc è contrà in secundarum intentionum nihilo angustiatus) mirabilem Dei manum in Mundi regimine ac præcipuè in Sortis Generis humani Directione tacitè contemplari, nec de stupendis ejus ordinibus quicquam temerè definire: ne in horrendam illam *Sophistarum* superbiam incidas, qui statim atque naturalis alicujus effectus causam in vieti cerebri sui angustijs non capiunt, naturaliter impossibilem affirmant; quasi & naturæ Majestas & Conditoris ejus Omnipotentia ac infinita Sapientia singulis illorum sint prorsus perspectæ. Platonicus enim Genius à Sophistico diversus nunquam per salebrosa quæstionum dumeta vagus errat; sed in apertis ordinum Naturæ campis suaviter spatians, ubique radi-

radiantem Dei Majestatem admiratur, & omnipotentis ejus manus opera contemplatur: sobrioque judicio pauca definiens, parcè credit, parcius damnat; quia ingenij humani imbecillitatem in alijs non parùm, in se plurimùm expertus est. Causas igitur cum Causis, Effectus cum Effectibus, Tempora cum Temporibus & Eventus cum Eventibus perpetuò confert; nec solenniorem habet argumentandi modum quam per gradus entis & differentias rerum. Cumque ex solâ rerum inter se comparatione pateat in quo conveniant & differant, longè majorem habet curam colligendi messem copiosam verarum apprehensionum rerum, quam exhauriendi vim discursûs in temerariâ eductione conclusionum. Ubi è contrà Sophistæ ex levibus aliquot ac spurijs Inductionibus principia discursûs eruentes, ubicunque fert affectus, arbitrarias conclusiones eliciunt; facilèque à seipsis persuasi cogitationes suas statim

pro

pro Divinis Veritatibus alijs obtrudunt; de mandatis Dei ac veris Justitiæ operibus cæterà securi; ut bajulis illis prorsus similes dicas, quos si qua quantumvis justa & honesta causa ad quidpiam de acquisito peculio decidendum invitet, justi protinus ac honesti contemptores invenias; verum si vili potius aliquo lucello pollicito ad quælibet onera sordidè per totam urbem bajulanda advoces, promptos & alacres servos per totam vitam exercendos nanciscaris. Cavebit igitur legitimus *Sapientiæ* filius, & in Aulâ Naturæ liberaliter educatus, ne, ubi de Credendo & intellectu servituti fidei mancipando agitur, fabulis & *Sophisticis* dogmatis vel mens suæ simplicetur, vel tantum aures suæ polluantur; sed uni Deo, pauciſſimis incomprehensibilibus mysterijs mentem hominis oneranti, ac proprio unigeniti filij ore imperanti credet: De cætero vitam ducet à pugnantibus inter se *Sectarum* odijs non minùs quam ab irruentibus undique corruptelarum

rum Mundi illecebris immunem; nec ullis pecuniis avidius inhiabit quam Denario illi Pythagorico quo emitur Sapientia, & in quo *Decem homines ex omnibus linguis apprehendunt laciniam vestimenti unius hominis ex Israel*, Christi Dei.

Æbut.

Næ tu mihi Philosophiam, non Platonicam, sed planè Propheticam describis.

Gade.

Una est tantùm Philosophia & Sapientiæ via, sicut una tantum recta ratio: quam ideo Platonicam vocari suprà diximus, quoniam ex illis qui solâ naturalis luminis vi Sapientiam excoluerunt, unius Platonis doctrinam habemus superstitem. Cæterum & Adamica est, & Abrahamica, & Mosaica, ex Thesauris Sapientum Israelis à Pythagorâ Tyrio, & circumciso, in Magnam-Græciam asportata, ac paulatim Græcæ vanitatis fabulis infecta. Venerationem igitur illi non minus quam pondus affert antiquitas, dùm veritates ab exordio Mundi jugiter

jugiter probatas colere profitetur. Nihil n. est Sapientiæ perniciosius quam extemporaneus novorum dogmatum in levibus ingenijs excrtus. Unde in Timæo Sapiens ille Ægyptius verè admodùm visus est Soloni dixisse: *O Solon ! Solon ! vos Græci semper pueri estis, nullam habentes antiquam opinionem, nullam disciplinam tempore canam.* Quippe de Supernis & divinis rebus, quibus nihil est prius, cum non possit medium aliquot demonstrationis adduci; ex convenientijs & viarum naturæ Proportionibus veritatem in effectibus quotidie per experientiam ostendentibus, argumentandum est; & illis Sapientiæ Magistris cum summâ discretione credendum, qui operibus potentes facti doctrinam suam nulla demonstrationis necessitate munierunt. Ista a. veterum Sapientia haud secùs ad Prophetiam se habet, quam diluculum ad meridiem: quippe quæ ex effectibus primum cognitis & harmoniâ rerum, eandem Causam concludit, in quâ divino lumine

ne

ne primùm perſpectâ, effectus ipſos Prophetia contemplatur.

Æbut.

Juſtè quidem illam opinionum novitatem damnas, â quâ ſemper abhorrui; nec abſque gravi cauſâ videtur mihi damnata à Congregatione Cardinalium in Copernico, Galilæo & ſimilibus, nova iſta rotationis terræ circa ſolem ſententia.

Gade.

Nequaquam, o Bone, juſta cenſenda eſt illa condemnatio doctrinæ antiquiſſimæ à Pythagorâ Philolao, & pluribus alijs veræ Sapientiæ cultoribus celebratæ, quam poſt diuturnum ſub tyrannide Sophiſtarum exilium quaſi poſtliminio inſtaurarunt ſummi illi Aſtronomiæ Magiſtri. Niſi quidpiam ſupereſſet in pectore tuo fermenti illius ſophiſtici, ſatis per te agnoviſſes quantùm differat futilia de rebus abſtractis dogmata de novo comminiſci ſuper ſecundis intentionibus nixa, & publicos errores

res de rebus sensibilibus & Mundi visibilis constitutione Opticis demonstrationibus eliminare; nec dubitasses quantum omnes insignibus illis viris debemus, qui cum Prophetâ Baruch admonuerunt nos, *quam magna est domus Dei, & ingens locus possessionis ejus.*

Neque hîc repugnantiam verborum Sacræ Scripturæ causeris, post tot præclaras Doctissimorũ virorum responsiones, quæ nec minimam in cordatis pectoribus difficultatem residere passæ sunt.

Æbuti.

Incipe igitur tandem aliquando veram Sapientiæ Platonicæ Idæam oculis mentis meæ effingere; quæ totam Animam meam ita repleat, ut nec minimæ Sophistici ferementi particulæ locus supersit.

Gade.

Faciam, postquam denuò ipsis Platonis ad Dionem verbis admonuero: *Cave ne unquam excidant*

hæc

ac in aures hominum disciplinæ ac eruditionis expertium. Nulla n. sunt quæ plebijs ingenijs propalata magis ridicula videantur & absurda: nulla quæ apud Doctos pronunciata magis mirabilia appareant ac divina.

Æbutius.

Ego tam sanctam Scientiam castè sancteque me exculturum, nec triplex illud Pythagoræorum silentium unquam violaturum promitto, juro, ac voveo.

De

De Ordine rerum, & natura ſemobili, ſeu Animâ

Sect. VI.

Gade.

Filius diviſionis & diffidij Ariſtoteles, cum tot locis Regulam naturæ illam & Intelligentiæ principium, (ubi ipſi ex uſu eſſe videbatur) decantaſſet : Extrema & toto genere diſſita medium ex ordine naturæ neceſſario exigunt, ut ad conſtituendam univerſi unitatem inter ſe conjungantur; doctrinæ propriæ oblitus ubi implacabilis in Magiſtros ſuos invidia cor ejus ſtimulabat, in moventibus & motis hunc prorſus ordinem fabulatus eſt, ut Omnia ab alio moverentur, donec deveniretur ad primum aliquod movens immobile. Quaſi duo Extrema illa, Immotum per ſe

per se, & Motum ab alio, seu Movens immotum, & Motum non movens, immediatè inter se conjungi possint; aut stantibus omnibus ac immotis, primum moveri aliquando incipiat, quod non per se, sed ab alio movetur. Ubi eum evidens appareat contradictio, primum ac per se moveri, & ab alio moveri; mirum est quomodo legentium oculis tam crassum pulverem offundere ausus sit Aristoteles. Quæ quidem contradictio etsi nullatenus inesset, nec ordo naturæ & conditio rerum inter illa duo extrema medium necessario exigeret: tam probabiliter usque admittenda veniret moventis seipsum doctrina, ac immobilis alium non per se motum moventis; nec justa pateret Aristoteli causa cavillandi adversus Timæum, quia dixerit intellectionem esse conversionem, seu motum circularem; ut cavillatur, dum ait: *Ergo semper aliquam rem intelliget. oportet enim; siquidem conversio est perpetua.* Eâdem n. ratione quâ dicit Aristoteles perpe- *Lib. 1. De Anima c. iii*

tuam futuram illam conversionem, potuit dicere (ad seipsum proprio telo confodiendum) nec etiam unquam principium habituram; siquidem principio æquè ac fine caret circulus. Et insuper ex pulchro illo discursu sequetur, quod nec artifex circino unquam circulum absoluturus est; quippe qui nec unde inchoet inventurus sit, nec à conversione circulari, (quæ fine caret Aristoteli) unquam desiturus. Vides quousque aberrant qui vim potius verborum & Logicas descriptiones attendunt, quam veram rerum naturam intuentur.

Æbut.

At enim ubi Aristoteles per moventia & mota pervenit ad movens immobile, & ostendit Omne quod movetur ab alio moveri, nusquam a. à seipso: insolubilem videtur rationem contra movens seipsum proponere. sic n. argumentatur: Si quod à seipso ponitur moveri est primò motum, sequitur quod ad quietem unius partis ejus, non sequitur quies totius. Si n. quiescente

una

una parte alia moveretur, tunc ipsum totum non esset primo motum, sed tantum pars ejus quæ alia quiescente moveretur. Nihil a. quod quiescit quiescente alio movetur à seipso. Cujus n. quies ad quietem sequitur alterius, oportet quod motus ad motum sequatur alterius; & sic non movetur à seipso. Ergo hoc quod ponebatur à seipso moveri, non movetur à seipso, sed ab alio. Ergo necesse est omne quod movetur ab alio moveri.

Gade.

Ut nihil prorsus de affectatâ verborum implicatione hic dicam, nonne advertis totum istum captiosum discursum falso illi fundamento inniti, quod illud movens seipsum diversas habeat partes, & sit divisibile. quod est prorsus contra naturam moventis seipsum, & extrà Platonis mentem. Intellgit n, motum generaliter Plato, ita ut quamlibet operationem & ipsam intellectionem comprehendat: quo modo & ipse Aristoteles accipit, lib iij De Animâ; & passim alibi, ubi ex usu ejus est. Verùm hic ad

evertendam antiquorum doctrinam & calumniandum Platonem, vafer Sophista ſtricte accepit motum pro actu exiſtentis in potentia, ſecundum quod hujuſmodi: quo ſenſu non niſi de diviſibili ac corporeo dici poteſt. Unde alterum hunc ejuſdem farinæ ſyllogiſmum confecit ad idem probandum, ſc. Omne motum ab alio moveri. Dicens: Nihil eſt idem ſimul in actu & in potentiâ, reſpectu ejuſdem. Atqui omne quod movetur, in quantum hujuſmodi eſt in potentiâ: quia motus eſt actus exiſtentis in potentiâ ſecundum quod hujuſmodi. Omne a. quod movet eſt in actu ſecundum quod hujuſmodi; quia nihil agit niſi ſecundum quod eſt in actu. Ergo nihil eſt reſpectu ejuſdem actu movens & motum. Et ſic nihil movet ſeipſum. In quibus omnibus vides quam facilè ruituræ ſint machinæ ab Ariſtotele adverſus Platonem extructæ, ſi dolos in ambagibus verborum ejus reconditos ſapienti reflectione advertas, & diſtinctiones propoſitionibu-

bus ejus adhibeas. Tolle n. falsa illa fundamenta quibus insistunt ejus machinæ, statim fatiscent; & perspicuè apparebit illud ipsum quod primum movens immobile tanto apparatu constituit, idipsum esse quod à Timæo & Platone movens seipsum appellatur, utpote spirituale existens, nec ullatenus divisioni partium, quæ in corpore alteram moventem alteram motam supponunt obnoxium. Quod non inficiatus est vir Bonæ ubique fidei D. Thomas Aquinas dicens: *Secundum Platonem movens seipsum non est Corpus. Accipiebat n. motum pro qualibet operatione, ita quod intelligere sit quoddam moveri, quem etiam loquendi modum Aristoteles tangit in iij. de Anima. Secundum hoc ergo dicebat; Primum movens seipsum movere; quia intelligit se, & vult, vel amat se: quod non repugnat rationibus Aristotelis. Nihil enim differt, devenire ad aliquod primum quod moveat se, secundum Platonem; & devenire ad aliquod primum quod omnino sit immobile, se-* Lib. 1. De. ver. fid. c. xiii.

cundum Aristotelem. Quâ insignis Doctoris sententiâ reus ignorantiæ procul dubio fiet Aristoteles, si cavillationis & doli damnationem velit effugere. Quippe *cum* Sophistæ *eadem sentiunt* cum antiquis Philosophis, *nec tamen eadem dicunt, indicium est quod nec ea quæ dicunt intelligunt.* Ex sententiâ Hippocratis. Verum pauci ad Aristotelis lectionem accedunt hac præoccupatione vacui; quod ille sit unicus Naturæ Genius, cujus omnia verba oraculi prorsus vice accipienda sint: ideoque vafritiem ejus, calumnias Antiquorum, contradictiones, captiones, aliosque nævos plerique minime advertunt. Atque inde tot mentium humanarum plagæ à Cyniphum aculeis inflictæ, ut Sapienter Heironymus, & *Desolata omnis terra quia nullus est qui recogitet corde.* Ut loquitur S. vates Jeremias. Quid est a. corde recogitare seu reflectionem super motibus & actionibus suis facere, nisi Conversionem illam seu motum Circularem animæ exercere,

Lib. de nat. homin in pr.

ap. 12. c

quem

quem erudite docet Timæus, & improbè traducit Aristoteles? unde non mirum si à tali Doctore tot discipulos habeamus *semper discentes & nunquam ad veritatis cognitionem pervenientes, nihil scientes sed circa quæstiones & pugnas verborum languentes.* Ut fuso sermone adversus illos perorat Apostolus. 2 Tim. c. 3. 1 Tim. c. 4. & 6.

Cum igitur per se mobile Principium, non quidem Logicum sed reale & Physicum agnoscere teneamur; illud non esse corpus haud dubium est: siquidem movere seipsum Corpus non potest, absque implicatione contradictionum ex Aristotele supra allatarum. Neque etiam simplex Intellectus est istud per se mobile vivificandi principium: quippe aliud extremū in naturâ est Intellectus, illud sc. quod supra diximus esse movens immobile, Unde Sequitur Principium illud semobile, quod Animam humanam appellamus, esse Incorpoream Substantiam, perfectam, seipsam moventem sine corporeis organis, & ideo intelligentem ac per se subsistentem, unàque corpus organicum

naturaliter vivificare ac movere aptam.

Æbutius.

Post præstitas à te superiùs probationes, ego hanc Animæ definitionem libenter admittam; nec Sophistarum more adversus singulas dictiones novis objectionibus denuo insurgam; ut per interminabiles disputationes dubia figantur & alantur potius quam solvantur, nec unquam ad majorem Sapientiæ lucem gradum promovere liceat. Quin potius absque ullo disputandi œstro, si patiaris, quæram, Quid est proprie in se, substantia illa per se mobilis intellectualis ac corpus vivificans? nunquid ignis sanguinem accendens ipsiusque ex tenuissimis partibus spiritus generans? nunquid aer omnia corporis organa, & omnes partes similares suavi Zephyro perflans? nunquid duplex ille liquor tam suavi temperie mixtus ex quâ Coelos constare quidam arbitrantur?

Gade.

Si quidpiam omnium istorum esset

set Anima, quantumvis ad summam tenuitatem & subtilitatem exaltatum, semper Corporea esset; nec n. essentiam rerum mutant magis & minus. Potius igitur inter res intellectuales quæ à sensibus aliquo modo percipiuntur, vestigandum tibi est, quid sit Anima, quam inter materiales & corporeas species.

Abas.

Sed quidnam prorsus intellectuale sub sensum cadere potest?

Gade.

Nonnulla diximus in primâ hujus Colloquij parte etiam oculis quodammodo subijci, sed jam potiùs aurium sensum consulemus. Dum suave aliquod melos cantantium Musicorum audis, quidnam maximè sensum tuum oblectat, & totam Animam tuam antea quodammodo torpentem ac languidam vegetat ac recreat; nec tantùm alacriorem, sed & sapientiorem ac prudentiorem reddit?

Abas.

Ipsa sonorum harmonia procul dubio.

Gade.

Gade.

Sed quid est in se harmonia illa seu Consonantia?

Æbuti.

Nil aliud profecto nisi soni gravis acutique crasis & mixtura suavis, auribus insidens.

Gaderus.

Verùm in quo consistit essentia illius Crasis & mixturæ, & illius suavitatis causa?

Æbuti.

In Proportione multiplici aut superparticulari..

Gade.

Quid est a. Proportio in genere?

Æbut.

Est duarum aut plurium Rationum similitudo.

Gade.

Quid tandem Ratio?

Æbut.

Est duarum Rerum ejusdem generis, inter se collatarum habitudo.

Gade.

Non igitur Soni, Magnitudines, vel res quæcunque materiales tantam vim exercent in Animam, sed

rasis.

Crasis, Proportio Ratio & Habitudo. Nec enim Melodiæ illius suavitatem intenderet æquè suavis alter Musicorum concentus, qui ad modulandum idem Canticum additus, vel Apothome, vel Diesi, vel Commate ab exactâ aliorum consonantiâ deficeret, sed potius omnia confusione ac horrore impleret, licet in se verè Consonans.

Æbuti.

Ita est prorsus; nec levius ferret Anima talem Dissonantiam auribus exceptam, quam corpus vulnera pugionibus inflicta.

Gade.

Iam igitur advertis maximam inter Animam tuam & Proportiones ac Harmonias Sympathiam. Vide ergò quam propè accessit ad exprimendam Animæ naturam & essentiam Aristoteles, dum in posterioribus Analyticis postulatum istud in exemplum Definitionis syllogismo non probandæ adduxit; *Animam esse id quod sibi est causa vivendi: hoc a. esse numerum seipsum moventem.* (Quod à Xenocrate Cap. 4.

crate didicerat; sed non laudavit auctorem, quia carpendi occasio non erat.) Et in lib. 1. De Anima
49.4. fassus est non esse improbabile Animam esse harmoniam: siquidem Animâ à Corpore separatâ tollitur statim illa harmonia quæ ipsum à corruptione tuebatur, & vigens ac floridum efficiebat; ubi è contrâ, sublatâ eâ statim putredini factū est obnoxium. *Æbut.*

At enim accidentis tantùm rationem habet harmonia.

Gadr.

Apud Sophistas quidem, quibus potius esset omnem Naturam rerum susdeque ruere, quam arborem Porphyrij truncare, aut Aristotelis Categorias turbare. Si quæ sunt maximè operantia sunt maximè entia, & quæ sunt maximè entia sunt maximè vera, & quæ sunt maximè vera sunt maxime intellectualia; substantiæ vero sunt magis entia quam Accidentia: quomodo vis harmoniam illam quæ perse non tantùm accidentia, sed substantiam, ipsam corporis tuetur, vivificat ac fovet, minus esse sub-

stantiam

ſtantiam non modò quam accidens quodvis, ſed etiam quam ſubſtantiam Corpoream.

Eſt igitur Anima propriè ſubſtantialis harmonia, vnitatem in numerorum progreſſionibus continens, naturæ Ordinum Idæam comprehendens, & temporis motus in Corpore dirigens. Anima, inquam, eſt Lux habens Punctum Eſſentiæ ſuæ in unitate, tanquam in æterno Sole ; Lineam Potentiæ ſuæ in Binario, tanquam in Radio; Superficiem Operationis in Ternario tanquam in Objecto ſolido; Corpus Effectûs in Quaternario, tanquam in Spatio ; ac tandem Circulum Reflectionis (per regreſſum in ſeipſam ac reditum in Cauſam ſuam) in ipſo Denario, qui ex illis quatuor terminis, 1. 2. 3. 4. ſimul junctis conficitur.

Ideò definitur à Timæo Anima, Linea conſtans ex Elementis, & diſtincta numeris harmonicis, univerſum (h. Anima Mundi Macrocoſmum, Anima humana Microcoſmum) conſonis motibus movens ac ſe in circulum convertens.

Æbut.

Æbuti.

Capio satis quomodo per Analogiam possit Anima vocari linea quomodo a. illa linea ex Elementis constare dicatur, nullatenùs capio.

Gaderus.

Siquidem facilè spiritalem esse illam lineam judicas, dubitare non potes quin ex immaterialibus elementis componatur. Sunt a. illa Elementa, quæ à Platone (sanctum canibus dare nolente) Idem & Diversum nuncupantur; a Pythagorâ autem (omnia per numeros tacituris Sapientibus explicante) Paritas & Imparitas appellantur. In Numeris n. Imparibus est Identitas, in paribus Diversitas. Quibus Elementis cum constet Animæ natura, facile tibi est capere, quare in naturalibus & Pythagoricis Categorijs (quæ ab ipsius Dei Sapientiâ omnium Opifice dispositæ sunt, non a. ab invido Sophistâ ex secundis intentionibus, ad capiendas muscas, tanquam aranearum telæ contextæ) Anima sub Quinarij classe

classe reponatur, ut qui ex primo pari & primo impari compositus est. Præterquam quod Anima Inter Ens supremum & materiam infimam, inter Spiritum & Corpus verè medium est ; juxta Quinarij naturam, in Denarij serie, sive per 1. &,9 sive per 2.& 8.sive per 3.& 7. sive per 4. & 6. sectâ, semper medium occupantis.

Æbuti.

Jam jam non amplius mirari subit, cur tam longè à Scholis exulet Platonica Philosophia, quæ fundamentis innititur à vulgari eruditione & plebeijs cogitationibus tantoperè dissitis : etsi, ut verum fatear, à naturali rerum ordine minus abstrahat, nec tanto tædio mentis aciem ubique vexet.

Gade.

Et ideo Pythagorici silentij Jusjurandum prius exegi, ne damno mihi verteret te Sapientiam edocuisse. Vulgaris n. minimè res est Sapientia ; *nescit homo pretium ejus, nec invenitur in terrâ viventium* : multominùs in fæce delirantium. Non tam

Job.28.13

tam publicè floret *Sophistarum* Schola, nisi quia de docendâ veritate parum curat, sed artem profitetur differendi probabiliter de omnibus, & summis flagitijs æquè ac præclare gestis Justitiæ colorem, stupendis erroribus æquè ac Sapientum dogmatibus veritatis speciem inducendi. Quod plerisque hominibus, maxime vero malis arridet, tanquam instrumentum cujus ope Bonis ac Justis in hoc Mundo prævaleant, Patrisque sui Diaboli opera faciant, & imperium promoveant.

Æbut.

Nunc verò doceas, oro, quomodo numerus Impar sit idem, Par vero numerus Diversum.

Gade.

Attende quomodo in egressu numerorum ab Unitate statim Binarius unitatis virtutem Divisionis gladio frangit, quam per Ternarij medelam consolidari oportet. Nunc igitur si unitati, altiori modo, hoc est, extra numeros prorsus consideratæ (sicut Deo omnes Creaturas

ras infinitè excedenti) numerum primum imparem, ternarium ſcilicet addas, (quaſi nobiliſſimas creaturas in Deum principium ſuum convertas) illa unitatis ſupremæ virtus addita primum quadratum efficiet, ſc. Quaternarium; cui ſi ſequentem Numerum imparem adijcias h. Quinarium, efficies ſecundum *Q*uadratum, ſc. novenarium, huic adde proximum imparem, h. Septenarium habebis tertium quadratum, ſc. *S*edenarium. Adijce novem, habebis 25. proximè ſequentem quadratum; & ſic adjectis 11. ſurget 36. mox adjectis 13. prodibit 49. ex quo cum 15. fient 64. qui cum 17. proferet 81. hic a. cum 19. dabit 100. & ſic in Infinitum aſſequeris omnes quadratas numerorum continuò ſequentium figuras 2.3.4.5.6.7.8.9.10. Ac deinceps. Eſt. a. quadratum figura nobiliſſima, utpote quæ utranque tum ſenſibilis tum incorporeæ naturæ ſpeciem comprehendit; hanc ſc. in Plano ſuo, quod magis propriè quadratum dicitur; illam in Solido.

do suo, quod Cubi nomine apud Geometras venit. Atque adeò trino progressu ab incorporea naturâ nondum absumus, quæ in Ternarij Categoriâ à Divinâ Sapientiâ locata est. Quaterno a. progressu in Corpoream & prorsus materialem naturam devolvimur. Quod docuit Euclides in illa sua incomparabili naturæ Grammatica. Lib. 9. Prop. 8. dicens : *Si ab unitate quotcunque numeri deinceps proportionales fuerint, Tertius quidem ab unitate quadratus est, & unum intermittentes omnes. Quartus a. est Cubus, & duos intermittentes omnes. Septimus verò Cubus simul & quadratus est, & quinque intermittentes omnes.* Ex quo Theoremate arcana operum Dei miranda erui possunt, quæ hic explicanda non veniunt. Hoc tantum addere liceat, quod sicut Ternario progressu ad spirituale quadratum pervenimus, sic insuper Quaternario Ternarij progressu ab unitate continuo, argentem per 3. 9. 7. unitatem semper recuperamus. Veluti 3. 9. 27. 81. 243.

243. 729. 2187. 6561. & sic deinceps. Ubi è contra quaternarij progressus in Binarij filijs semper in Binarium ipsum materialem, recidit. Veluti 4. 8. 16. 32. 64. 128. 256. 512.

Si 2. quod per impares numeros supra effecimus, per numeros pares tentemus, unitatique binarium addamus, primam assequemur figuram triangulum: cui si secundum parem numerum addamus, sc. quaternarium, inveniemus statim vacuam ordine figuram, Mundi ornatui inutilem, ac ignorantiæ matrem, Heptagonum; quæ extrà Circulum Geometricâ descriptione caret, & in circulo quamvis laterum quantitatem habens necessariam, tamen habet indemonstrabilem, & æquè necessario ignorâtam. Atque ideo etiam ornatum Mundi non ultra *Senarium* promovit ter maximus *Sapientiæ* Magister Mosch: est enim *Senarius* omnis & Ordinis & harmoniæ fons ac Origo, Septenarius verò finis rerum & Cessatio. Quare requievit ipse Deus

Deus in illo ab omni opere quod fecerat, diemque septimum inviolabili Naturæ Lege *Sabbatisandum* edixit.

Æbuti.

Peperit attentionem, in intelligendis omnibus illis quæ tam erudite enucleasti, summa animi voluptas : verum antequam à Numerorum progressionibus mentem avertamus, fervet animus audire quomodo illa Animæ linea Eodem & Diverso constans, in Paribus & Imparibus numeris omnis harmoniæ fontes ac principia contineat.

Gade.

Si Anima Numerus est se movens, ut docuit Xenocrates, harmoniam in sese continere prorsus necesse est; siquidem connaturalis est primis ac simplicibus numeris fere omnibus harmonia ac Proportio.

Cum n. jam supra dixerimus, Proportionem Rationalem seu Effabilem Majoris inæqualitatis, tùm multiplicem, tum superparticularem, esse suavitatis harmonicæ causam ; & Proportio multiplex ea sit

fit, in qua major minorem aliquot vicibus continet (quæ quidem innumera genera complectitur, secundum progressionem numerorum,) Superparticularis vero proportio dicatur, quando major quantitas minorem semel duntaxat continet, & insuper unam ejus partem aliquotam: Certè si 2, cum 1 comparaveris, invenies Proportionem Duplam; quæ in Musica Consonantiam edet Diapason, omnium validissimam; eandem vero si ad Configurationes stellarum transtuleris, pariet Oppositionis Aspectum, omnium etiam validissimum. Si vero 3. cum 2 contuleris, in Musicâ Consonantiam Diapente omnium suavissimam, ex Sesquialtera Geometrarum Proportione conficies: quæ ad Stellarum Syzygias translata Trigonum aspectum edet omnium etiam benignissimum. Sic collatio 4 cum 3 apud Geometras proportionem Sesquitertiam dabit, apud Musicos Diatessaron, in Cœlesti schemate Quadratum aspectum; quæ omnia Duplæ proportionis

portionis vim (iterum sc. per medium divisæ) magis redolebunt. Collatio vero 5 cum 4 Sesquiquartâ dabit Geometris Proportionem, Musicis Ditonum, Astrologis Quintilem aspectum. Ac tandem Collatio 6 cum 5 Geometris præstabit Proportionem Sesquiquintam, Musicis Semiditonum, Astrologis Sextilem aspectum.

Si verò simili excursu quidpiam proportionis à *S*eptenario exigamus, Tristis ille numerus nec ullam prorsus Geometris Proportionem, nec ullam Musicis Consonantiam, nec ullam *S*tellarum positioni virtutem dabit; Sed totius Orbis Harmoniæ,& Ordini à Deo ipso Opifice in Senario constituto, Sabathum Mortis ac Æterni *S*ilentij *S*tationem imperabit.

Nec tamen omnis penitùs abijcienda spes; sed expectandum ab ab eâdem *D*ei *S*apientiâ auxilium, quæ suscitans mortuos, *& vocans ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt*, remedium novæ per resurrectionem vitæ in Octonario præstabit.

Non

Non quod ex Collatione 8 cum 7, ullam proportionem Geometris, vel Consonantiam Muficis, vel efficacem configurationem Astrologis indicare valeas, (est n. Septenarius, ut Porcus, ut Leprosus, ut Taxus, tactu undique damnosus, & vel umbrâ ipsâ nocivus, ac mortis Genitor) sed quia cum Mundi prioris reliquiis novus iste Octonarij status participationem habet, ipsasque ad majorem perfectionem exaltare potis est. Profert n. 8 rius cum 6 nario novam Diatessaron, cum 5 nario Exachordon minus, cum 4 nario Diapason, cum Ternario Diapason-Diatessaron, cum Binario Disdiapason, cum unitate Trisdiapason. Novenarius verò cum Octonario, & Denarius cum novenario Tonos Majorem & minorem addunt, quasi vehicula ad movendas Consonantias opportuna.

Inter hos a. omnes Harmonicos Numeros, (de quibus si plura dicere aggrediar, vastum Scientiarum pelagus ingredi necesse est, totamque

tamque veterum Sapientum Divinam Sanctamque Magiam exponere) maximè attendendi sunt isti, 1.2.3 4.8.9. quippe qui simul juncti 27. explent Ternarij Cubum; (sicut supra diximus quatuor primos Denarium explere omnium simplicium numerorum Circulum) siquidem in hoc Cubo factam fuisse docet Plato Animæ Mundi generationem. Assumit n. 1. quod omnium numerorum est principium: Deinde 2 & 3 qui sunt primus par & primus impar. Postea 4 & 9 qui sunt primi numeri quadrati, ac tandem 8 & 27 qui sunt primi duo Cubi. Postremus verò hic numerus inse ductus producit 7·9. novenarij Cubum, à Ternarij Cubo productum, & plurima fatalia arcana in se continentem. Hos igitur Septem numeros 1. 2. 3. 4. 8. 9. 27. duobus ordinibus Plato distinguit, quorum alter pares alter impares continet, amboque geminam Animæ vim ostendunt, alteram sc. quâ in Mundum Intelligibilem semper assurgit, alteram

ram quâ ad Corporalia descendit. Quare in illis septem numeris Animæ mundanæ ortus comprehenditur; per quam omnia Naturæ arcana aperiuntur. Ductus 1. corporalis numerus in spiritualem, alios generat numeros Potentiæ ac Efficaciæ plenos: 2 quippe in 3 ductus primum numerum perfectum producit Senarium, omnis Ordinis & Harmoniæ parentem, ut jam dictum est. Ductus 4. in 9 numerum producit Circularem, Triangularem & Quadratum simul, 36. divinum sanè numerum Propheticum ac Magicum, Intellectu Animâ & Corpore constantem, octonarij, Æquipollentem, & senarij quadratum. Cujus quidem æquipollens 666. a fido Christi Discipulo in Apocalypsi assumptus est ad Quæstionem de adventu Bestiæ per Artem numericam resolvendam. Ductus tandem 8. in 27 producit 216 Senarij ipsius Cubum ac primum numerum ex duobus Cubis genitū & ex tribus Cubis compositū; sc. 27. 64. & 125 quorum radices finitimæ sunt 3. 4. 5. Intellectum

Corpus & Animam sub se continentes. Sunt n. sub Ternarij Categoriâ à Divinâ Sapientiâ conclusæ Res planè Spirituales, & ab omni commercio cum materiâ abstractæ: Sub Quaternario res merè Corporales; Et sub Quinario, Animæ; naturæ valdè ambiguæ, atque arduì valde regiminis, propter illam ex Eodem & Diverso compositionem Quinarium exhibentem; qui cum nec Trigonus sit nec Quadratus, nec Cubus nec Perfectus, vix quicquam decoris ad Diadema Regis conferre videtur, nisi per summam illam industriam, quam sequitur Sapientia.

Jam verò & ijsdem Numeris perfectæ insunt Consonantiæ, Diapason sc. inter 2: & 1. Diapente inter 3. & 2. Diatessaron inrer 4 & 3. Diapasondiapente inter 9 & 3 & Disdiapason inter 8. & 2. Certè allocuturus homines Deus & Legem suam proprio digito Scripturus, sub 27 præcipuis caracteribus Sapientiæ suæ arcana in sacris Eloquiis revelavit. De quibus restat nobis grandis sermo tractatûs istius

istius brevitati non satis accommodatus.

Æbur.

Tale tuum carmen nobis Divine Poëta,
Quale sopor fessis in gramine, quale per herbam
Dulcis aquæ saliente sitim restinguere rivo.
Nec calamis solùm aquiparas sed voce magistrum.

Jam sanè adverto, quo spiritu actus, ante annum, in potentissimæ Majestatis conspectu effatus es: Ad ritè percipiendam rerum Spiritualium Naturam, plus conducere Proportionum & Algebræ Scientiam, quàm partem Metaphysicorum Aristotelis maximam.

Gade.

Et tamen vilem ibi scurram vidisti, vernaculæ tantùm Grammaticæ à novâ Academiâ reformatæ peritum, ac sub mentito Medici titulo Regio Capiti & Aulæ celeberrimæ illudentem, plurimis cachinnis stul-

tè hæc ſuggillaſſe : ſicut & nobilem illam noſtram Propoſitionem Geometricis Elementis oſtenſam, quæ docet *Finitimum eſſe Finitum Infinito à quo Infinitè diſtat*, Supernarumque virtutum Majeſtatem & Ordinum Naturæ ſeriem carneis oculis quodammodo exhibet.

Æbuti.

Is eſt Aularum mos, ubi *vulpes foveas habent & volucres Cœli nidos: Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* Quid ibi præſidij expectet Sapientia, unde Chriſtus exulat ?

Gade.

Et nos igitur cum ipſo & Sapientiâ ejus exulemus. *Æterna erit gloria, pro nomine ejus contumeliam pati.*

De

De *Immortalis Animæ in Corpus Terrenum descensu.*

Sect. VII.

Æbuti.

QUod hactenus filij prodigi instar, consumptâ in Scholarum nugis Opulentiâ mentis meæ, inter Sophistas Animam siliquis paverim, ingenuè fateor: quod quæcunque de mirabili illâ humanæ Animæ naturâ conciso nimium stylo attigisti, satis perceperim, jactare non audeo: spero tamen assiduis vigiliis, & laboris improbitate assecuturum, ut illa plurimarum Scientiarum insita in ipsa Mentis meæ essentiâ semina culturâ ista irrigata in grandem Sapientiæ segetem excrescant.

Gade.

Non sic facilè, vir optime; nisi mentem suaviter afflet Cœlestis

aūra *Spiritûs* illius, qui ubi vult ſpirat. Oratione ſolâ, Contemptu vanitatis & Amore Juſtitiæ vallatâ id aſſequêris, ut Caligo quæ in tot eruditis pectoribus inſanabiles errores fovet, mente tuâ excedat, fortemque præſtet adverſus Tyrannicam illam poteſtatem quæ & Doctorum rationem & Prudentum Mundi ſenſum occultis nebulis involvit.

Æbuti.

Si ſtudio pertinaci præſtaret oratio, Monachos illos oporteret, qui in pleriſque Orbis tum Chriſtiani tum Mahumetani partibus frequentibus examinibus vivunt, veræ Sapientiæ Magiſtros brevi fieri, quorum tamen aut inſania, aut vana ſuperſtitio, aut imbecillitas animi, aut pertinax malitia ab ipſis popularibus ſuis ubique traducitur.

Gade.

Melius noſti quam admonere opus ſit, non eſſe ſeriam ad Deum Orationē fundere, prolixis precum formulis abſque intellectu plerumq; & attentione Cœlum fatigare; ſed jugem

jugem mentis ad Deum Conversionem, & à Creatarū rerum consideratione ad Creatorem ascensum esse verum laudis sacrificium Deo acceptabile : Quod qui non curant, crimen infidelitatis apud Deum incurrunt, ut eruditè docet Doctor Aquinas in insigni illo Tractatu De veritate fidei, dicens : *Hæc operum Dei Consideratio ad fidei instructionem necessaria est, quia in admirationem Sapientiæ & Omnipotentiæ Dei rapit, & consequenter in cordibus hominum reverentiam Divinæ Majestatis & amorem Bonitatis ejus accendit: tandemque hominem in quandam Dei similitudinem transfert.* Lib. iii. & cap. iii. Unde Apostolus ij. Corinth. iij. Gloriam Dei speculantes in eandem imaginem transformamur. Nec minus prodest hæc Operum Dei Consideratio ad errores qui circa fidem contingunt eliminandos: quippe qui inde oriuntur quod ordinum naturæ ignari Creaturas viribus præcellentes pro Deo facilè agnoscunt, & quod Dei solius est Creaturis adscribunt ; humanam-ue nobilitatem Creaturarum

servituti mancipant.

Ac tandem verbis istis concludit sanctus vir: *Et hic error circa Creaturarum naturam ac rerum Mundi ordinem in falsam de Deo cogitationem redundat, & humanam mentem à Deo abducit in quem fides Christiana hominem dirigere contendit. Ideoque illis qui circa creaturas errant non alias quam infidelibus pœnas Sacra Scriptura comminatur, dicens: Quoniam non intellexerunt opera Domini & opera manuum ejus, destrues illos & non edificabis eos. Et Isaiæ.24.11. Non est populus Sapiens iste, & ideo non miserebitur ejus qui fecit illum.* Non explicat a. vir sanctus locum hunc Psalmis per rationes ex Unitate & Denario petendas, quia cum Pythagorâ & Platone commercium inire ab Aristotele prohibitus fuerat: quamvis non aliunde majorem sententiæ suæ elucidationem accersiturus esset.

Æbut.

Vellem adderes tu; nisi magis arderet animus audire de pulchræ illius filiæ Dei è supernis sedibus in mor-

mortale ac terrenum istud Corpus descensu: ut ritè perspectâ propriæ Animæ naturâ, tutius in externam Naturæ vastitatem per assiduas meditationes spatiari possim.

Gade.

Haud aliâ melius viâ quam per loci illius expositionem, in arcana Originis & primæ Animarum habitationis ingredi liceret, si veterum Patriarcharum Scientiam & Hebraicæ Theologiæ mysteria propalare consilium esset: verùm quia per totum Colloquij nostri excursum nil aliud, quantum licuit, nisi Philosophum egi, etiam hanc operis partem Platonis impensis absolvam; breviter, & positivè quidem, non a. disputativè.

Æbuti.

Et eò melius audire parato satis facies; jamdiu n. exorcismis tuis in malam rem abactus est Dæmon Sophisticus à quo tandiu obsessus fui.

Gade.

Ex Platonicæ igitur doctrinæ fundamentis supponendum est Hu-

manam Animam mentium Divinarum ultimam, & per se mobili naturâ præditam, Æternitatis factam esse participem : tùm ob illam qua prædita est essentiam seipsam moventem & nunquam se deserentem, sed per se subsistentem; tum propter Opificis Causæ Vnitatem ineffabilem, à quâ immediatè processit. Ut fusè ex Phædro & Libris de Rep. aliis que locis Divini Philosophi, necnon Plotini Enneadibus; succincte a. ac breviter ex Theologicis Procli Elementis colligere licet: atque ex Insigni Platonicæ Dialecticæ opere nobilissimi ac Pietate eruditâ conspicui viri Lud. de Morainvillier, Maclovien sem apud Armoricos nostros urbem in obeundâ Illustrissimi Episcopi vice singulari eruditione suâ illustrantis.

Hanc igitur Animam, ut Mundi Corporei Civis fieret, quiddam connatum & ab illo ipso rerum conditore fabrefactum aptatumque habere necesse fuit. Sine connato n. Corpore in illo solo Mundo vivere

vivere apta fuisset qui Intelligibilis appellatur, nec ulli prorsus corporeæ conditioni obnoxius exiſtit. Ætherium igitur illi corpus purum ac limpidum totumque lumine ſplendens, vel potius lumen ipſum exiſtens applicuit, ab eo nunquam ſolvendæ, ſed illud in æternum propria virtute vivificaturæ ac mobilitate naturali moturæ, utpote cum eo immortale Animal & coeleſti habitatione dignum conſtituenti. Quod quidem corpus abjecta Sophiſtarum ingenia manibus carneis contrectare non valentia, nec mente capere potuere: licet ſplendor ejus divinum Maronis intellectum non fugerit, qui primum iſtud Animæ vehiculum,

Ætherium ſenſum atque aurai ſimplicis ignem
nuncupat. Quippe inde.
Igneus eſt ollis vigor & coeleſtis origo
Seminibus, quantum non noxia corpora tardant
Terrenique hebetant artus moritura-que membra.

Nec

Nec aliâ ratione vidit S. vates Ezechiel *Animalia Cœlestia hominibus similia vere & reverâ, quorum aspectus erat sicut fulgurum & lampadum.*

Cum vero vidit opus eorum ac si esset rota in medio rotæ, ita ut spiritus animalis esset in rotis: graphicè depinxit ipsum secundum Animæ vehiculum, cujus mediante vinculo in istud saxeum ac luteum, uno verbo ostraceum Corpus trahitur, de quo posteà. In illo igitur ætherio ac radianti corpore tutæ ab omnibus fati vicissitudinibus Animæ soli Operum Patris contemplationi indulgent, jam ab initio creationis Canticum illud intonantes, quod Adamus primum inter mortales cecinit: *Delectasti me Domine in opere tuo, in factis manuum tuarum laudans exultabo. Quam magnificata sunt opera tua Domine, valde profundæ factæ sunt cogitationes tuæ. Vir stupidus non cognoscet, & stultus non intelliget hæc.*

Unde Proclus sic in Timæum scribit

bit: *Animæ fato potiores sunt, spectatæ ex vitâ illâ quam supremam obiuent. Id n. illis secundum naturam est quod dat eis universi Pater. Unde & ipsæ considerantes Patris opera portionis fatalis alas impunè effugiunt: sicut effatur Oraculum:*

Inque Deo positæ lapsas divinitus in se
Attraxere faces, & florum munera carpunt
Defrugeigniferâ, qui pastus sunt Animarum.

Et illa sunt humani generis femina, quibus coelestem originem & Igneum vigorem tribuit Virgilius. Sparsæ n. in diversas Nnmerationes ab initio Animæ, (quas Numerationes Stellarum nominibus designat Timæus apud Platonem) velut in Temporis instrumentis supra Temporis motus constitutæ Rerum inferiorum vicissitudines, varios & constantes naturæ progressus, ac Providentiam Creatoris à fine ad finem fortiter attingentem

et

& omnia suaviter disponentem diu contemplantur, antequam & ipsæ Fati decretis secundum proprij syderis Genium ac Numerationis gradum subijciantur.

Descensuras a. in terras infoelices Animas Igneo illo Corpore fulgentes alia oportet induere levia Corpora Fati vicissitudinibus obnoxias illas facientia; quoniam Naturales Progressiones non nisi convenientibus mediis fiunt. Et hæc levia Corpora simplices tunicæ à Platonicis vocantur; (ut est apud Proclum Propos. ccix. & Prop. ccx. Element.) ac secundum Animæ vehiculum.

Quod secundum vehiculum naturali appetitu movendi ac vivificandi corpus constituto tempore subit Anima, ideo in istud facile allecta quod ex simplicissimis constat Elementis ex septem Stellarum molibus à Dijs Cœlestibus detractis, ac divinâ prorsus arte temperatis: unde tenuissimum evadit corpusculum illud ac velocissimum; licet ab illo ætherio connato, & puritate & digni-

dignitate longè distans, utpote ex diversis elementis compositum, & mutationibus ac fati Decretis obnoxium. Et de hoc secundo vehiculo intelligendus est Virgilius, dum ait:

Sed frustrà hac comprensa manus effugit imago;
Parlevibus ventis volucrique simillima somno.

Ideo a. libera à fati Imperio Anima appetitum illum movendi Corpus accepit, quoniam ex primævo Providentiæ Ordine ad mortalia corpora vivificanda destinatæ sunt. Unde Sapienter Proclus: *Necesse est Animam ex Naturæ conditione & Universi Ordine ad Genituram venire. Accipit igitur de Universo etiam mortalem vitæ speciem, & naturalem ad res inferiores affectum. Et hic deinceps sub sceptro fati est, quæ in primævo statu alas ejus impunè effugiebat. At si bene vivat, potest etiam pura remanere ab iis quæ à fato inferuntur, nisi quatenus* Lib. v. in Tim.

nus de iis participare cogit corporis necessitas. Siverò à mortali vitæ genere vincatur, fati prorsùs mancipiũ fit, (ut maxima totius generis humani pars) & Vniversum illà eo modo vtitur, quo vtitur ratione carentibus. Quippe postquam elegerunt, vitam ducunt sibi conuenientem & rerum vicissitudini conformem. Omne n. vitæ genus aliquem in Vniverso vsum obtinet, nihilque inordinatum aut indefinitum in rebus relinquitur. Nec possunt Animæ de Fato & rerum Ordine queri, quippe ne causa peccantibus esset, ipsis Leges fatales inscripsit Denario numero comprehensus (quem ideo Naturæ Authori, & Fato dedicat Pythagoreorum familia) ut ipsæ secundum Electionem se agirent. Nec etiam Diis Fati ministris & Mundi rectoribus malorum causam possunt tribuere, aliosque benefícos alios maleficos nuncupare, cum omnes bonorum omnium quæ capere possunt homines, largitores ipsis sint; neque fiant ab illis mala quæ verè mala sunt, sed significentur tantum. Nam terriculamenta & ostenta

ostenta injeiunt ijs qui videre possunt & legere scriptas in Universo litteras quas suo progressu scribunt, res mortales effingentes per figurationes diversas. Ita ut siquid malorum hominibus inferatur ex motionibus cœlestibus, inde contingat, quod aliter illa dent natura Cœlestes, aliter accipiat humana Anima; haud secus ac si generosissimum & pirissimum vinum foetentibus ac infectis utribus excipiatur. Certè si à principio accepassent leges fatales, Fato potentiores fuissent, nec ad genituram venissent; sed secundum mentem vixissent, & se totas Providentiæ lumini dedissent. Hæc ferè Proclus.

Ex quibus patet, quod cum in primo vehiculo & immortali Corpore ex purissimo lumine compacto securam duceret vitam Anima, & Cœlestis contemplationis alis prædita inter Deos ac supernas Virtutes versaretur, ab hoc secundo vehiculo ex septem elementis subtilissimis compositio patitur fieri generationis Civis; & ad varias vitarum species, electione sese conferre incipit. Quippe tum in illam universi

Universi partem concedit, in quâ tum actiones omnimodæ cum mutabilium rerum passiones affectioneſque oriri conſpiciuntur. Unde ait Ezechiel quod illa Animalia in ſtando *in rotâ in medio rotæ demittebant alas ſuas* (quibus ſc. anteà ad altiſſimas Contemplationes aſſurgebant) *ſemper progredientes & non revertentes.* Quia ſc. Converſionem illam intellectivam aſſiduam affectu rerum corporearum & externæ Mundi pulchritudinis dimittunt. Quamvis n. tenuia illa corpuſcula, quæ ſunt ſecunda Animarum vehicula, per ſe etiam Orbicularia ſint, & vniverſi magnificentiam in exiguis *Sphæris* exhibentia, per virtutem Animæ illa connectentem, & per interiorem mentis ac connati luminis Orbem in ſphæricam formam illa cohibentem: tamen per imaginationis affectuſque vehementiam, prægnantium inſtar, in tenero corpore quaſlibet alias formas effingunt. (Quod & de Dæmonibus ſub Orbe Lunæ vagantibus cenſendum eſt, qui licet quaſlibet nobis

nobis figuras sæpe ostendant, dum materiam sui Corporis mobilem & tenuem variis modis facilè transfigurant ; tamen naturaliter Orbicularem formam per interiorem mentis Orbem retinent & appetunt; assumptasque figuras in priorem sphæricam figuram restituere apti sunt. Ut eruditè disserit Plotinus Ennead. 2. lib. 1.)

Tandem verò illâ nube involuta Dei filia vi magneticâ & fati decreto in tetrum hunc terreni corporis carcerem trahitur, à lachrymis & gemitibus infoelicis vitæ cursum auspicatura, in qua vix aliud Boni vestigium apparet, nisi quod levi flatu, catharri gutta, styli acumine, scorpij punctura, levi sanguinis fervore, momento venit finienda. Cæterùm quandiu perseverat Animasque in vinculis detinet,

Hinc metuunt cupiuntque, dolent gaudentque, nec aspira
Respiciunt, clausa tenebris & carcere cæco.

Æbutius.

Quin omnis illa oratio tua & probabilitate nitatur et antiquissimos

simos mortalium fautores habeat nemo inficiabitur, nisi qui nunquam veterum monumenta evolverit: vereor tamen ne fastuoso supercilio Platonicam hanc omnem doctrinam Sophistæ ad Poetarum figmenta amandaturi sint, ut quæ nullâ usquam demonstratione nitatur.

Gade.

Cum veritate nihil desiderabilius nec humano intellectui convenientius sit, ut quæ si ipsis corporeis oculis cerni posset, mirabiles sui amores in omnibus pectoribus accenderet; ut á Platone sapienter dictum quotidie prædicant ipsi Sophistæ: si falsâ tantum imaginationis productione nititur ista tam nobilis, tam verisimilis, tam celebris, tam antiqua, tam suavis, tam universalis omnium veterum Sapientum ac Poetarum doctrina; quomodo non longe augustiorem, longè mortalium animis acceptiorem ac suaviorem ediderunt Sophistæ, Veritatis demonstratione probatæ sese possessores ubique jactantes, vixque per

per quadrantem horæ usquam inter se consentientes, nisi de subvertendâ antiquorum Sapientiâ agatur; ut fusè supra ostendimus. Crede mihi, nusquam apud *populum istum obscuri sermonis, ita ut non possis intelligere, ridiculum lingua & absque intelligentiâ*, habitavit Veritas, æterna Dei filia; quæ lumine tota fulgens, serenitatem pulchrarum cogitationum ac divini eloquij suavitatem pectoribus instillat, apud quæ hospitari gaudet; non a. Sophisticarū argutiarum nebulas, rauco murmure ac barbaro terminorum categorematicorum ac syncategorematicorum, sensus compositi ac sensus divisi stridore, in pueriles animos infundendas. Si quid Demonstrationis apud illos inveniretur, non per æternas contentiones & solenne disputationum exercitium errores suos foverent viles istæ Animæ, quæ calumniandi tantùm peritæ, Demonstrationes ubique ab alijs exigunt quas nusquam proferre queunt; Similes stolidi alicujus mercatoris, quem si fortè

fortè aliquando inceſſerit cupido auri illius perfectiſſimi congerendi, quod plurimo follium flatu & carbonum incendio diuturniſque Stibij torturis ſole ſplendidius Aurifabri ex fornacibus eruunt, merces ſuas extrudere nulla auri publico ſigno probati ſpecie invitari poſſet: ſed potius haberet, otio torpere & egeſtate opprimi, quàm cum animoſis aliis mercatoribus per terras ac maria volitantibus, ingentes opes communi commercij lege cumulare, unde lautè poſteà vivere contingeret. Eſt maxima auri illius obrizi ac Sole purioris pars in moneta publico ſigno probatâ; licet communis vivendi lex ac mores Gentium tam exactam in nummis puritatem non ferant. Sunt et meræ veritatum altiſſimarum demonſtrationes in veterum Sapientum libris, licet non ad logices trutinam & Poſteriorum Analyticorum examen expreſſæ: atque etiam ubi de rebus æternis, divinis ac intellectualibus, quibus nihil eſt prius, ſufficientes habere demonſtrationes humani

humani ingenij infirmitas non patitur; ridenda est insani Sophistæ Stoliditas, omnem veterum Sapientum eruditionem superbâ ignorantiâ respuentis; exipsâ Aristotelis sententiâ.

Sunt quidem naturæ ac proprietatum quantitatis tum continuæ tùm discretæ demonstrationes à priori, veluti infallibiles, quæ in fertili Geometrarum glebâ lætissimâ segete luxuriant: & harum quidem cognitio humano intellectui ad comparandas alias scientias adeo necessaria est, ut frustra quisquam æquale Coelo Sapientiæ fastigium, nisi super solido illo fundamento extruere tentet. Quare ante alias quascunque scientias addiscendam Matheſim, ad Imaginationis evagationem coercendam, discursumque firmandum, & aperiendam Intelligentiam sapienter admonuit. Alex. Piccolominæus. Ideoque Sapiens Plato, Sapiens Timæus, Sapientissimus Pythagoras, totaque Veterum Schola in humani generis salutem à Deo creata, nus-

nuſquam niſi ſuper Numerorum ac Menſurarum fundamentis Philoſophata eſt, *omnia quippe Deus in pondere numero & menſura conſtituit, inquit Platonicus Propheta.* Donec in hominum perniciem erecta eſt Ariſtotelis Schola, quæ acceptam ab optimis Magiſtris ſanam eruditionem tanquam peſtilens aranea in cavillationum artem ſummo artificio convertit, quæ abſque longâ Geometricarum demonſtrationum meditatione & longiori Experimentorum naturalium coacervatione ab humilibus ingeniis ad larvatæ eruditionis oſtentationem addiſci poſſet. Non ſic in Arcana Naturæ patet aditus, ſed experimentis innumeris ac Obſervationibus diuturnis ſtabilitur ſuper Geometricarum Demonſtrationum ſolo Phyſica; quale eluceſcit eius ſpecimen in Tractatibus, illis De Motu & Proportione accelerationis gravium decidentium Galilæi & Gaſſendi.

Et indè videmus quotidiè, ex paucis experimentis fornacis, Chymicos

micos ampliorem naturalium veritatum messem colligere, quam totus à bis mille annis percepit Peripatetismus : ut *Sapienter* monuit Magnus ille Heros à Verulamio melioris sæculi attentione dignus. Atque utinam plurimos haberet Britannia Apollineæ Artis cultores, qualem edidit immortali laude dignum Harvæum, cujus unicum Ovum omnem De generatione Animalium Scientiam tam solidis experimentis exclusit. Vir sane longè cordatior Andræa Cæsalpino alioqui eruditissimo Scholæ alumno, qui solidæ Georgij Agricolæ in rebus fossilibus peritiæ uberibus diu lactatus, non erubuit rationem illam Clementi viii. Pontifici allegare propter quam, *Doctrinâ nuper diligentissimè atque eleganter traditam* denuò aggrederetur, *quod multa in eâ traditione reperiantur*, inquit, *Principiis Philosophiæ minus congrua, & Peripateticam Doctrinam evententia.* Vbi videre est intolerabilem Sectatorum Aristotelis insaniam, qui expertissimorum

in rebus naturalibus hominum præclara opera corrumpere potius habent, quam Aristotelis illusiones mente eijcere. Nec dicas vitium illud esse hominis privati, non Scholæ universæ. Ecce (inter plures alios) æque eruditus alter Apollinis filius, non semel suprà laudatus Franciscus Vallesius, cujus summæ doctrinæ vix quicquam obloqui liceat, nisi & ipse ab Aristotelis Genio corruptus fuisset. Et hic majoris quam Cæsalpinus criminis reus, non tantum experimentis innumeris effectuum Naturæ præfert opinionem Aristotelis, sed & sacris Oraculis ac expressis Hagiographorum Librorum verbis. Cum n. diu de Naturâ Dæmonum adversus Platonicos disputasset, Apuleijque sententiam ideo solùm damnasset, quod Peripateticæ Philosophiæ consona non esset: tandem contrà expressam Hagiographi Tobiæ Libri Doctrinam definit. *Dæmones neque his, neque illis figuris videri unquam posse, neque ullos mortalium amare, neque ullâ corporalis pulchritudinis*

tudinis ſpecie rapi. Nec obijcias inconcuſſæ authoritatis defectum in illo ſancto Libro: præterquam quod n. longè magis à Canone Sacrorum librorum abſunt Ariſtotelis opera, certè nec inconcuſſam Libri Tobiæ fidem in dubium vocare Valleſio licuit, in mediâ Hiſpaniâ degenti. Sanèque vereor ne in illâ librorum farragine, quæ ſub Apocryphorum nomine à Gelaſio Pont. domo Eccleſiæ ejecta eſt, plurimas gemmas ingenti luto obvolutas amiſerimus. Poterant quippe plurima ad ædificium Sapientiæ pertinere, quæ ad conſtituendâ fidei fundamenta minùs erant idonea: ut ex reſiduis decem illis nuper rejectis conijcere eſt, quorum exemplaria, apud populos qui à Corpore Scripturarum exulare juſſerunt, paulatim intereunt. Aliud eſt n. Sapientiam excolere, aliud fidei dogmata tueri. Hæc quæ de Divinis & æternis hominem inſtruit, nec Mathematicis Demonſtrationibus nec Phyſicis Experimentis alteranda eſt, ſed ſummâ

veneratione talis ab intellectu excipienda est, qualem Optimus ac Clementissimus Deus per spiritum sanctum suum in Animam infundit, mediante Prophetarum & Apostolorum Doctrinâ, vniversæque Ecclesiæ Christianæ consensu.

Verum ex Tribus illis fundamentalibus Cognitionibus, Theodidactica seu Christianâ, Mathematica & Physicâ verâ, proprijs medijs seriò ac solide acquisitis & à Contemplativo Ingenio diu inter se collatis, ac summâ solertiâ coagmentatis, oritur in intellectu potens illa mirabiliumque effectrix Sapientia sanctaque Magia, qua toti Orbi conspicui & omnibus sæculis memorabiles facti sunt illi quos Deus tanta gratia dignatus est: quique plures innumeros fortè in omnibus & Temporibus & Regionibus dignaretur, *n si* Peripatetismi *tenebras magis quam* solidarum Cognitionum *lucem homines diligerent.*

Hujus verò Altissimæ Sapientiæ filia est nobilis illa Poetica ab antiquis

quis Prophetis expressa, & aliquatenus ab Homero, Pindaro, Virgilio ac paucis alijs adumbrata; quæ arcum Majestatis suæ fastigium sub familiaris discursus ac blandi eloquij velo abscondens, nec arcana Potentiæ suæ, nisi sub figuris Deorum ac ænigmatibus referans, officia humana tam Privata, quam Politica ac Oeconomica, suavis metri lenocinijs, naturalibus symbolis ac sensibilibus veræ foelicitatis imaginibus explicat, & ad ultimi finis cognitionem bonas mentes sermonis suavitate, sicut Amphion ad Thebarum constructionem saxa lyræ suæ sono, pellicit. In quo longè à perdito Aristotelis Genio abscedit, qui artis docendæ per Animalium exempla Politicæ ignarus, omnia humanæ malitiæ & tyrannicarum artium exempla discipulis suis in Politicorum libris suppeditavit; quæ postea Macciavellus dignus tanto præceptore discipulus in fraudium Aulicarum ac Tyrannicæ Gubernationis præcepta redegit.

De *Statu Immortalis Animæ, poſt exceſſum ex hoc Carneo Corpore.*

Sect. VIII.

Æbutius.

Cum de Animæ in Corpus hoc terrenum deſcenſu ad votum dixeris; quærere inſuper liceat, quid De ejuſdem poſt mortem ſtatu ſentiant Platonici veſtri.

Gade.

Rem non minùs arduam quam ſcitu utilem quæris Æbuti: ſed de qua ſi Demonſtrationes expoſtulent Peripatetici veſtri, in Regiones illas umbræ mortis,

Et caligantem nigrâ formidine lucum

mittendos cenſeam: ut quæ proprio Experimento compererint, longâ

longâ inductione in demonstrationis principia reducant. Mihi sanè potius cum Timæo videtur orandus Deus, ut in re tam abstrusâ suppetias ferente ejus Spiritu, *ea dicantur à nobis quæ ipsi placeant: deinde ut nobis ipsi constemus.*

Jam n. Antrum illud omnibus populis apertum, & Viam Universæ carnis mente ingredior: si fortè.

Sit mihi fas audita loqui, sit numine Divum
Pandere res altâ terrâ & caligine mersas.

Quando Anima in hoc infœlix corporis ergastulum conjecta, toto peregrinationis suæ tempore in hac tenebrarum valle, tam fortiter originis suæ nobilitatem assiduâ cogitatione versavit, ut emissis undique sensibilibus voluptatum ac Mundi vanitatum speciebus aditum occluserit, nec ullis suavitatum vitæ ferculis corpusculum illud internum ex subtilissimis conflatum ele-

mentis fugiaverit; sed ut sanctus ille Anachoreta Paulus, Apostoli verus imitator, *affectus suos sollicitè castigaverit, & corpus suum in servitutem redegerit*; tunc ubi delibatur carneus ille carcer, & tempus resolutionis ejus pervenit, Anima veste illibati candoris induta, absque ullo vitæ hujus desiderio aut mortis terrore, læta inter Cœlitum manus evolat; à quibus suaviſſimis amplexibus excepta in locum Refrigerij ac beatæ quietis inter Sanctorum Animas transfertur.

Merita quippe est à laboribus suis requiescere, quæ omnium desiderabilium abstinentiâ, in ipsâ hac vitâ tunicam illam interiorem quâ terreno corpori fata illam alligaverant prorsus consumpsit; a miſſamq; patriæ dulcedinem perpetuò lugens, ubique ostendit se nobiliori esse stirpe ortam, quam quæ vel cum Corporeis rebus hujus Mundi, vel cum latronibus gloriæ Factoris sui ullo commercio miscri pateretur: unde contigit, ipsam Corpore hoc carneo quasi sepulchro clausam, nihil

hil unquam coelestis venustatis gratiæ & alacritatis interioris luminis sui, ad ornandum hocce exilij sui hospitium expendisse, sed incultâ canitie, per assiduam viarum meditationem quibus reditus in patriam pateret, præmaturè accersitæ, fronte in juventute rugis asperâ, cute situ horridâ, & membris macie confectis, radians intus immortalis fulgoris jubar abscondisse, donec in ipso vitæ termino ex alacri proximæ mortis sensu, cum spectantium stupore, super faciem erupit.

Quod si è contrà, postquam terrarum Civis facta est, Patriæ suæ Coelestis statim oblita est, ac Mundanarum divitiarum commodis, Aulicæ magnificentiæ fascino & voluptatum carnis suavitate delinita, subtile illud corpusculum interius, quo terreno huic connectitur, tot materialibus speciebus, auri gemmarumque radiis, formarum muliebrium & amoris illecebrarum imaginibus, ac dignitatum & honorum Mundi illusionibus saginavit

ac infecit, ut tota carni per hoc vinculum immersa sit, totamque vim intellectus, omnes cogitationes, universumque splendorem suum cœlestem impenderit, ad exornandum carcerem hunc terrenum quasi æternum sibi domicilium futurum: nec usquam per sapientem reflectionem in sese conversa, de inquirendo, in intimo centro essentiæ ac unitatis suæ æterno factore suo, quicquam cogitaverit; sed tota in multiplicitatem corporalium objectorum per sensus effusa unitatem illam intimam qua similis Deo facta est prorsus dissipaverit; tunc in supremo transitoriæ hujus vitæ die, fati decreto, ex hoc carneo domicilio, summâ vi ac tremendo mortis horrore venit dejcienda; quid agat, quo se conferat, unde auxilium expectet, prorsus nescia: tandemque inter summas angustias, & acerbam arcti illius cum carne conjugij dissolutionem, corpore egressa viam incogitanter ingressam se percipit à quâ recedere non datur, quoniam

nil

nil mutationis amplius vel novas in mente cogitationes vel novos in voluntate affectus inducere poteſt. Conſilio igitur immutabilis facta ut quæ eſt in termino conſtituta, (vel potius Conſilio, Intellectu, Voluntate, ac Libertate deſtituta, quia tota *effuſa eſt ſicut aqua* & in carnales affectus diſtracta, unitate in ſe ac unione cum Creatore (qui ſumma unitas eſt) privata, ac per conſequens omni virtute, robore, firmitate vacua prorſus facta eſt) videt ſe à fœliciſſimâ Factoris ſui viſione & Univerſi pulchritudine ſeparatam, ac in vanas cupiditates rerum quibus amplius frui non licet, miſerè diſſipatam; à quibus ſingulis, tanquam currus aurigâ deſtitutus ab effrenibus equis, huc illuc abſque ratione, judicio, ac ordine rapitur, propter defectum unionis in ſeipſâ. Eſt n. Vnitas omnis virtutis ac perfectionis fons, unde illud præcipue ad laudem juſti pertinet, quod de Elcana dicit Scriptura: *Erat vir unus*. Ut docte diſſerit Origenes

Homil.

Homil in lib. Regnorun, dicens. *Nomen justi hujus est Elchana quod interpretatur Possessio Dei. Certum est n. quod ille qui unus est vir, Possessio Dei, est & non Possessio Damonum. Quem n. Dæmones possident, non unus est sed multi: sicut & ipse Dæmon in eo quem possidebat, sciscitanti Christo quodnam esset nomen ejus, respondit, Legio; quia plures erant simul Demones in eum ingressi. Si igitur & ego ita mortificavero membra mea ut jam non concupiscat caro adversus Spiritum, nec sit alia lex in membris meis quæ repugnet Legi mentis meæ, sed omnia intra me una atque eandem sententia moveantur; tunc ero et ego Vir unus.* Neque tamen indelebilem illum Naturæ sensum in radice essentiæ suæ insitum quo OMNIA BONUM APPETUNT, tam penitùs supprimere valuit, quin apertè, inter affectuum suorum torturas & dilacerationes advertat, quam grandem Æterni Boni, ac perpetuæ Foelicitatis, omnia voluptatum, honorum, ac divitiarum genera in

se

se complectentis jacturam fecit: quæ cum nullâ viâ recuperari possint, cum ingenti desperationis sensu & miserrimi status sui horrore, ac assiduo tremendi Dei judicij terrore, in æternum dolet quod amisit, & pavet quod incurrit. Neque minùs tamen ab insanis affectibus ad amissarum voluptatum & vanitatum cupiditatem rapitur: horrendaque Dæmonum spectra in elato secum infoelici corpusculo videt expressa quorum diras suggestiones in affectibus suis est imitata. Materiam n. corporis illius mobilem & tenuem, per Imaginationis Affectusque vehementiam, prægnantium instar, tum ipsa, tum Dæmones quorum socia facta est, in bestiarum formas effingunt, quarum appetitus imitantur, ut ex Plotino diximus. Velut Dæmon ille quem foetentis sub scrofæ imagine speciem suam Coraſſensi Comiti exhibuisse, refert Froissardus: nec posteà ab illo amplius visum vel auditum, cuicum tam arcta antea familiaritas intercesse-

cesserat: propriâ sc. superbia post expressũ miseriæ suæ statum, reditũ ad illum non ferente. Unde Sapienter Origines, Homil. ij in Psal. xxxviii. super illa verba; In imagine pertransit homo.

Scrutetur se unusquisque vestrum, & cordis sui arcana recenseat, ac diligenter inquirat quas ibi imagines gerat. Multis in hoc Mundo satis fuit ad crimen, quod tyrannorum apud se imagines deprehensæ sunt. Si inventus fueris habere ibi formas Dæmonum et imaginem Satanæ, quod tibi erit vitæ refugium?

Et sanè figuræ omnium Irrationalium Animalium, simulachra sunt cunctorum affectuum in infericri Animæ parte (quæ nil aliud est nisi secundum illud ejus vehiculum) existere natarum: sicut humana figura propria est ac genuina Rationis imago. Cum igitur hinc dolor amissorum, illinc pavor imminentium, simulque præsentis status horror miseram undique Animam obsideant, odio sui ipsius percita, quæ se olim nimis amaverat

rat, odit et ipsum optimum Creatorem suum, ac maledicit ei, quia tam justus est quam misericors.

Sed & tertius existit egredientis è Corpore Animæ status. Contingit n. aliquando inter densas illas tenebras quibus obvoluta Anima nil nisi voluptatum illecebras & vanitatum illusiones sectabatur, totaq; in varios affectus divisa, nihil nec unitatis in se, nec mentalis unionis cum Creatore suo servabat, ex visceribus misericordiæ Clementissimi Factoris sui, radium superni luminis efficacem in pectus ejus penetrare, qui momento temporis ipsam foris vagantem in se revocat, cogitationesque ejus dissipatas ad unitatem mentis tam vigorosè retrahit, ut ex transactæ vitæ dolore & sincerâ ingratitudinis suæ agnitione lachrymæ conscij pectoris testes ubertim erumpant.

Quod ubi evenit, urgentque tam strictè fata discessum, ut in hâc vitâ non liceat contrario sanctorum actuum tenore, gloriæ mundi voluptatumque contemptu,

& af-

& assiduâ Sapientiæ Dei meditatione ac vitæ Christi imitatione totam mentis ad Conditorem suum Conversionem testari; tunc post acerbam avulsionem ex terreo hoc carcere cui tam arctè adhæserat, horrendo inter carnales affectus (quos ante mortem non exuit) & amorem Creatoris, (cujus heu nimium oblita est) conflictu lacerata, non leviùs quam ipsa perdita habere videretur, nisi & suavitas misericordiæ optimi Factoris sui, qui propria culpâ & malitiâ perditam summo Bonitatis excessu ad æternæ felicitatis viam reduxit, tormenta ejus leniret, & spes pulcherrima foveret finem brevi habituros in infinitæ voluptatis torrente dolores quos admissis erroribus nullatenùs condignos patitur. Et licèt haud aliter quam perdita Anima, Tenebrosarum potestatum insultibus jugiter pateat; quæ ad excitandam affectuum ejus lanienā, assiduas amissarū voluptatū imagines longè excelsioris ac suavioris speciei quam rerum corporearum natura patiatur sibi objiciunt, ut

ut à ſummi Boni cogitatione illam avertant, & vanis illuſionibus affectus ejus paſcant ac vegetent: tamen diverſo longè ſucceſſu vexationes illas experitur. Cum n. ſpecies illæ ex corruptibilibus objectis collectæ, & vulgatâ apud Dæmones arte ſimul compaginatæ atque ad altiorem pulchritudinis gradum exaltatæ, Animæ Perditæ affectus poſt amiſſa Mundi deſiderabilia rabidè hiantes, venenatâ eſcâ, & potu De vinea Sodomorum & de Suburbanis Ghomorrhæ expreſſo paſcant, at inebrient; Converſæ quidem Animæ affectus, nulla diuturna ante mortem à Creaturis averſione extinctos ſollicitant ac ſummâ fruendi ſame jacturæque dolore urgent; verùm nuſquam in effrenem rabiem, quæ Animæ virtutem diſtrahat, agere queunt, quoniam ipſa ante ſupremum exitum in ſe collecta & unita, rationis habenis eos ſeriò mancipavit. Unde contingit eos à venenatæ dulcedinis guſtu voluntatis imperio retractos ſenſim attenuari, objectiſque illecebris carnalium imaginum

num tanquam ardenti igne absumísicque pinguedinem illam qua corpusculum interius, in hac vitâ incrassatum fuerat jejunij tam acerbi perseverantiâ prorsus dissipari. Hinc fit superstitum nemini, post mortem vel vexationi vel ludibrio esse Animas quæ ante supremum exitum ad Deum conversæ sunt; futiliaque plerumque esse quæ de pertinacibus ad orandum pro illis interpellationibus à levibus ingeniis traduntur: nec tamen prorsus falsam esse mortuorum apparitionem, cum certum sit perditas Animas affectuum rabie actas & loca criminum suorum conscia diris plerumque illusionibus infestare, & viventibus aliquando insultare, ipsaque bestiarum corpora passionum suarum qualitates foventia invadere; haud secus ac dæmones in inferioribus elementis vagantes. Unde Christus Dominus: *Cum exierit spiritus immundus ab homine ambulat per inaquosa loca quærens requiem & non invenit. Tunc dicit: Revertar in domum meam Unde exivi.* Matt. xii.

Sed

Sed nec etiam inficiari velim, ex arctiſſimo neceſſitudinis & amicitiæ vinculo per mortem haud fatis ſoluto oriri quod etiam inſontes animæ aliquando viventium oculis ſe obijciant, ac per imaginis objectæ figuram qualitateſque tactu perceptas de ſtatu ſuo in altera vita edoceant. Quale refert exemplum in Genialibus Diebus graviſſimus Author Alexander ab Alexandro, de Romano Cive, qui in reditu à balneis Cumarum mortuus, noctu jacenti in lecto amico ſuo ſe, obtulit, corpuſculumque ſuum pedis contactu glacie frigidius oſtendit. Nec dubitant n. ex Platonicis noſtris plerique, quin ab Elementorum intemperie pati poſſit ſecundum illud Animæ vehiculum: ſed pro delictorum in anteactâ vita admiſſorum conditione profundiſque perturbationum Animæ impreſſionibus, corpuſculum nunc à calore immodico extenſum & diſtractum, nunc à frigore intenſo immoderatè conſtipatum & compactum diverſimodè ab elementa-

mentaribus qualitabus vexari; & per ipsum Animam tangi, affici & affligi; non dissimili ratione quâ hic apud nos dolenti corpori condolet & compatitur animus; & quidem subtili illi corpori tanto impensius quanto Animæ conjunctius est & nobilius.

Postquam a diuturnis tormentis laceratum & summo contritionis assiduæ dolore confectum tandem per se fatiscit: Anima ceu à generationis lege prorsus absoluta simul cum eo omnes affectus & omnem omnino irrationalis vitæ speciem deponit; liberaque in æthereo purissimoque corpore, in quo Naturæ corporeæ Mundique sensibilis imagines recipit, in patriam suam coelestem ad Deum qui fecit illam evolat, cum Dijs fœlicem in sæcula sæculorum vitam actura Christumque Mundi Universi Regem qui proprio sanguine redemit eam in æternum glorificaturus.

Æbut.

Habetne fautores aliquos inter Eccle-

Ecclesiæ Doctores tertio loco explicata illa De Purgatione Conversæ ad Deum Animæ doctrina ?

Gade.

Etsi unum haberet Magnum Origenem, unus mihi omnium vice esset Origenes ; qui solitâ ingenij sublimitate & mirâ facundiâ sic loquitur Homil. ij. Psal. xxxviii. super verbis illis : Tabescere feciſti sicut araneam animam ejus. *Anima quæ peccat crassior efficitur. Unde scriptum est: incrassatum est cor populi hujus. Sicut a. peccatum incrassescere facit, ita è contrario virtus subtilem Animam reddit, & omne quod in ea corporeum est* (nota verba) *abstergit & perimit: Quod a. crassescat & carnea efficiatur quod immodo peccatoris Anima, hæc verba indicant: Non permanebit Spiritus meus cum homine in æternum quia caro est. Ubi carnem sine dubio vocat Animas crassiores & peccatrices. Si ergo incrassescat Anima ita ut efficiatur caro: quid remedij præparet Deus docet : In increpationibus, inquit, pro iniquitate erudiſti hominem, & tabescere*

beſcere feciſti ſicut araneam Animam ejus. Eſt ergo opus Dei ut tabeſcere faciat & conſumat omne quicquid eſt craſſioris materiæ quo circundatur Anima, ut ex tenuet & elimet prudentiam carnis, & ita demum Animam ad ſubtilem rerum coeleſtium & inviſibilium revocet intellectum. Talia quidem invenimus ſub ſacramento non minimo apud Ezechielem Prophetam deſignari, cum in lebetem vel cacabum carnes immitti dicuntur et decoqui : & dicitur quia coctæ ſunt & detabuerunt. Lebetes n. vel cacabi ſuſcipient nos flammis ſuccenſi, in quos injiciemur nos qui Animas noſtras incarnavimus & incraſſavimus, ſi non prius dum in hoc mundo ſumus prævenerimus per pœnitentiam ut tabeſcant carnes noſtræ, & craſſitudo animæ noſtræ deducatur ad ſubtilitatem aranea. Tale illud eſt, ut opinor, quod Jeremias ſcribit : vidi, inquit lebetem vel cacabum ardentem, & facies ejus à facie Aquilonis. Et iterum cum virgam vidit nuceam. Propterea quippe virgam oſtendit ſimul & cacabum igne ſuccenſum

censum: ut siquidem disciplinam accipias per virgam & emenderis, cacabo non indigeas succenso. Si verò permanes indisciplinatus, & virgâ non emenderis, (de qua Paulus ait: vultis ut in virgâ veniam ad vos.) in cacabum mitteris & cacabus succendetur.

Hæc a purgatio quæ per pœnam ignis adhibetur, quanto tempore de peccatoribus exigat cruciatus, solus scire potest ille cui Pater omne Judicium tradidit. inquit idem Origenes lib. 8. In Epist. ad Roman c xi. Qui tamen durationis ejus conjecturam ex delictorum admissorum gravitate elicit Homilia xiiij in Leviticum: docens, esse peccata quædam ita levia ut stipulæ comparentur, cui utique ignis illatus diu non potest immorari: alia fœno, quæ ipsa non difficulter ignis absumat, licet aliquantò tardius, alia tandem ligno esse similia, in quibus diutinum & grande pabulum ignis inveniat.

Eandem doctrinam suo Cabalistico h. obscuro & figurato stylo explicat

explicat sanctus ille Ecclesiæ Israeliticæ Pontifex, qui responsum acceperat à Spiritu sancto non visurum se mortem antequam videret Christum Domini: dum in libro Zohar, ad illa verba: Et vixit Jacob Gen. cap. xlvij. sic loquitur.

Veni vide. Primis septem diebus Anima vadit de domo ad sepulcrum & de sepulchro ad domum, propter quam flet & luget, terque in die simul judicantur; neque ullus est hominum qui hoc intelligat aut animum advertere velit: Posteà corpus prorsus dimittit, Abit, lavatur & purgatur in Gehenna: & post xij. menses utrique quies contingit. Corpus in pulvere relinquitur, Anima ligatur in Exuvijs quibus induta est.

Vides quam non abhorruerit à Platonis Doctrinâ Patrum Ecclesiæ tum veteris tum Christianæ sententia; quæ innumeris aliis authoritatibus confirmari posset, nisi magis in animo esset philosophum quam Theologum agere, & Sapientiam

entiam potius quam Religionem docere. Nec enim unquam malè de Religione sentiet, qui Sapere noverit, nec erit usquam serius ac verus Religionis cultus, ubi non aderit Sapientia.

Æbuti.

Cum materialia & corporea sint illa Animarum vehicula, cur oculis nostris non sunt jugiter visibilia? aut si propter tenuitatem, oculorum aciem possunt effugere, quomodo sese aliquando visui nostro objiciunt?

Gade.

Quomodo vermiculus noctu in sepibus lucens, statim atque tangitur lumen abscondit; timore sublato iterum prodit? Pura corporalia ne visui aspicientium pateant impedire nequeunt: inquit Origen. Spiritualia a. & superna non videntur nisi voluerint. Hoc n. ex Affectivæ Animæ Potentiæ effluxu oritur, ut diximus. Claudemus igitur locum hunc generali omnis Antiquitatis ab exordio Mundi consensu, aureis istis versibus, à

Divino Poetâ expressis.

Quin & supremo cum lumine vita reliquit,
Non tamen omne malum miseris nec penitus omnes
Corporeæ excedunt pestes; penitusque necesse est
Multa diu concreta modis inolescere miris.
Ergo exercentur poenis, veterumque malorum.
Supplicia expendunt; aliæ panduntur inanes
Suspensæ ad ventos, aliis sub gurgite vasto
Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni.
Donec longa dies perfecto temporis orbe
Concretam exemit labem, purumque reliquit
Ætherium sensum, atque auraï simplicis ignem.

Ubi quæ dicit de elutione sceleris sub aquis, aut exustione igni, apprime conveniunt antiquo illi Divinæ legis præcepto Num c. xxxi inserto: *Omnis res quæ transit per ignem traducite per ignem, & mundabitur.*

Omni

tradita sibi Purgatorij status Animæ veritate, innumeras non tantùm de loco & modis pœnarum fabulas comminiſci; ſed etiam Pontificijs diplomatibus, æreis ſignis, alijſque ſimilibus larvis vim tribuere, concretas diu Animarum labes momento expurgandi, Animaſque in Cœlum per ſaltum transferendi. Quo errore infectæ innumeræ animæ, cum hanc corporis ſarcinam depoſuiſſent, miſertus Eccleſiæ ſuæ Deus ferrum atque ignem adhibuit in peſſimi ulceris remedium; paſſuſque eſt ab alijs Sophiſtis eruditulis cum falſæ Doctrinæ zizanijs etiam veritatis a Patribus traditæ frumentū evelli; quaſi ſatius eſſet Chriſtianam plebem hoc ſalutari lumine orbari, quam tantâ ſuperſtitionum tyrannide abijs opprimi, qui totam hanc Doctrinam in prædæ occaſionem & publicum pecuniarum latrocinium converterant. Jamjam tamen vident illi qui veræ ſapientiæ defectu tantæ veritatis lumen populis eripuerunt, quam Æterno Judici rationem red-

dituri sint. Improbe sui ipsius amor, quid non mortalia pectora cogis! Certè in acerbâ illa adversus Pontificios luctâ nunquam veritati illi obloqui ausus est Martinus *Lutherus*, licet circa superstitiones inde ortas mota esset tota querela. Sic n. loquitur strenuus ille Indulgentiarum impugnator In Resolut. De indulg. Conclus. xv. *Ne Pigardus Hæreticus in me sibi videatur obtinuisse Purgatorium non esse, quia locum ejus ignotum esse profiteor: aut ideo Romanam Ecclesiam errare, quia opinionem D. Thomæ quod locus ille sit sub terrâ non explodit. Mihi certissimum est Purgatorium esse.* Nec multum me movet *quid blaterent Hæretici, quando jam mille & plus centum anni sunt quod B. Augustinus pro patre & matre orat, & orandum petit. Et eadem sancta mater ejus moriens memoriam sui fieri optaverit ad altare Domini. Quod idem à B. Ambrosio factum constat. Quod a. tempore Apostolorum non fuisset Purgatorium, ut superbit fastidiosus Pigardus,*

nun-

Omnia quæcunque non transeunt per ignem transibunt per aquam, & lavabitis vestimenta vestra die septimâ, & mundi eritis & post hæc introibitis in castra: Quem locum Scripturæ sic explanat Origenes, Homil. xxv.

Tempus belli nobis est in hoc Mundo, pugna est adversus Madianitas, sive adversum vitia carnis nostræ, sive adversum contrarias potestates. Spectat nos Angelorum Chorus, Virtutum Cœlestium pia erga nos pendet expectatio, quando vel quomodo de hoc prælio revertamur; quid unusquisque manubiarum reportet. & intuentur curiosius, perscrutantur quis nostrum auri hinc amplius ferat, quis etiam argenti pondus exhibeat, quisve lapides deferat pretiosos. Requirunt etiam si quis æs deferat aut ferrum aut plumbum; sed & si vas ligneum forte aliquis, aut fictile, aut aliud hujusmodi magnæ Domus usibus necessarium. Requiretur ergo cum illuc abierimus quid unusquisque nostrum deferat, & secundum ea quæ detulerit, etiam mansionis ei meri-

explicat sanctus ille Ecclesiæ Israeliticæ Pontifex, qui responsum acceperat à Spiritu sancto non visurum se mortem antequam videret Christum Domini: dum in libro Zohar, ad illa verba: Et vixit Jacob Gen. cap. xlvij. sic loquitur.

Veni vide. Primis septem diebus Anima vadit de domo ad sepulcrum & de sepulchro ad domum, propter quam flet & luget, terque in die simul indicantur; neque ullus est hominum qui hoc intelligat aut animum advertere velit: Posteà corpus prorsus dimittit, Abit, lavatur & purgatur in Gehenna: & post xij. menses utrique quies contingit. Corpus in pulvere relinquitur, Anima ligatur in Exuvijs quibus induta est.

Vides quam non abhorruerit à Platonis Doctrinâ Patrum Ecclesiæ tum veteris tum Christianæ sententia; quæ innumeris aliis authoritatibus confirmari posset, nisi magis in animo esset philosophum quam Theologum agere, & Sapientiam

entiam potius quam Religionem docere. Nec enim unquam malè de Religione sentiet, qui Sapere noverit, nec erit usquam serius ac verus Religionis cultus, ubi non aderit Sapientia.

Æbuti.

Cum materialia & corporea sint illa Animarum vehicula, cur oculis nostris non sunt jugiter visibilia? aut si propter tenuitatem, oculorum aciem possunt effugere, quomodo sese aliquando visui nostro objiciunt?

Gade.

Quomodo vermiculus noctu in sepibus lucens, statim atque tangitur lumen abscondit; timore sublato iterum prodit? Pura corporalia ne visui aspicientium pateant impedire nequeunt: inquit Origen. Spiritualia a. & superna non videntur nisi voluerint. Hoc n. ex Affectivæ Animæ Potentiæ effluxu oritur, ut diximus. Claudemus igitur locum hunc generali omnis Antiquitatis ab exordio Mundi consensu, aureis istis versibus, à

Divino Poetâ expressis.

Quin & supremo cum lumine vita reliquit,
Non tamen omne malum miseris nec penitus omnes
Corporeæ excedunt pestes; penitusque necesse est
Multa diu concreta modis inolescere miris.
Ergo exercentur poenis, veterumque malorum.
Supplicia expendunt; aliæ panduntur inanes
Suspensæ ad ventos, aliis sub gurgite vasto
Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni.
Donec longa dies perfecto temporis orbe
Concretam exemit labem, purumque reliquit
Ætherium sensum, atque auraï simplicis ignem.

Ubi quæ dicit de elutione sceleris sub aquis, aut exustione igni, apprime conveniunt antiquo illi Divinæ legis præcepto Num c. xxxi inserto: *Omnis res quæ transit per ignem traducite per ignem, & mundabitur.*

Omni

Omnia quæcunque non transeunt per ignem transibunt per aquam, & lavabitis vestimenta vestra die septimâ, & mundi eritis & post hæc introibitis in castra: Quem locum Scripturæ sic explanat Origenes, Homil. xxv.

Tempus belli nobis est in hoc Mundo, pugna est adversus Madianitas, sive adversum vitia carnis nostræ, sive adversum contrarias potestates. Spectat nos Angelorum Chorus, Virtutum Cœlestium pia erga nos pendet expectatio, quando vel quomodo de hoc prælio revertamur; quid unusquisque manubiarum reportet. & intuentur curiosius, perscrutantur quis nostrum auri hinc amplius ferat, quis etiam argenti pondus exhibeat, quisve lapides deferat pretiosos. Requirunt etiam si quis as deferat aut ferrum aut plumbum; sed & si vas ligneum forte aliquis, aut fictile, aut aliud hujusmodi magnæ Domus usibus necessarium. Requiretur ergo cum illuc abierimus quid unusquisque nostrum deferat, & secundum ea quæ detulerit, etiam mansionis ei meri-

tum deputabitur. Probabuntur tamen omnia hæc, quæ per ignem per ignem; quæ per aquam, per aquam.

Æbut.

Cum ſtantem ab ævo Doctrinam illam videam tum apud Judæos, cum apud Ethnicos, ſimulque apud Antiquos Chriſtianos: miror quæ mentem inſania invaſerit plerorumque Neotericorum Theologorum, qui nullum ab ſullius Commentum in Eccleſiæ Romanæ Doctrinâ inveniunt, quam tertius ille Animæ ſtatus, in quo à ſordibus in hâc vitâ contractis venit purganda.

Gade.

Hinc cauſam habuiſſe mihi videtur error ille grandis, quod *Omnes declinaverunt & inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat Bonum, non eſt uſque ad unum.* Eccleſia Romana labentibus ſæculis in ſuperſtitiones immerſa, ac ſuperbiâ quam parere ſolent immenſæ divitiæ oppreſſa, nimis exhibitæ ſibi à Populis venerationi confidit, dum Sophiſtas & fraterculos paſſa eſt, pro

tradita

tradita ſibi Purgatorij ſtatus Animæ veritate, innumeras non tantùm de loco & modis pœnarum fabulas comminiſci; ſed etiam Pontificijs diplomatibus, æreis ſignis, alijſque ſimilibus larvis vim tribuere, concretas diu Animarum labes momento expurgandi, Animaſque in Cœlum per ſaltum transferendi. Quo errore infectæ innumeræ animæ, cum hanc corporis ſarcinam depoſuiſſent, miſertus Eccleſiæ ſuæ Deus ferrum atque ignem adhibuit in peſſimi ulceris remedium; paſſuſque eſt ab alijs Sophiſtis eruditulis cum falſæ Doctrinæ zizanijs etiam veritatis a Patribus traditæ frumentū evelli; quaſi ſatius eſſet Chriſtianam plebem hoc ſalutari lumine orbari, quam tantâ ſuperſtitionum tyrannide abijs opprimi, qui totam hanc Doctrinam in prædæ occaſionem & publicum pecuniarum latrocinium converterant. Jamjam tamen vident illi qui veræ ſapientiæ defectu tantæ veritatis lumen populis eripuerunt, quam Æterno Judici rationem red-

dituri sint. Improbe sui ipsius amor, quid non mortalia pectora cogis! Certè in acerbâ illa adversus Pontificios luctâ nunquam veritati illi obloqui ausus est Martinus *Lutherus*, licet circa superstitiones inde ortas mota esset tota querela. Sic n. loquitur strenuus ille Indulgentiarum impugnator In Resolut. De indulg. Conclus. xv. *Ne Pigardus Hæreticus in me sibi videatur obtinuisse Purgatorium non esse, quia locum eius ignotum esse profiteor: aut ideo Romanam Ecclesiam errare, quia opinionem D. Thomæ quod locus ille sit sub terrâ non explodit. Mihi certissimum est Purgatorium esse. Nec multum me movet quid blaterent Hæretici, quando jam mille & plus centum anni sunt quod B. Augustinus pro patre & matre orat, & orandum petit. Et eadem sancta mater eius moriens memoriam sui fieri optaverit ad altare Domini. Quod idem à B. Ambrosio factum constat. Quod a. tempore Apostolorum non fuisset Purgatorium, ut superbit fastidiosus Pigardus,*

nun-

nunquid ideo credendum eſt hæretico vix quinquaginta annos nuper nato, & fidem tot ſæculorum falſam eſſe contendendum? Maximè cùm ipſe nihil aliud faciat quam dicere: Non credo: & ſic probat omnia ſua, & improbat omnia noſtra. Quaſi non & lignum & lapis non credant.

Abut.

At enim ſententiam illam Lutheri inter recantatas ab ipſo ponunt ejus Sectatores, apud quos nulla prorſus Purgatorij Animæ ſtatus niſi ad execrandum, mentio eſt.

Gal.

Et illis ergo ipſis Magiſtri ſui verbis reſponderi poteſt: Nunquid credendum eſt hæreticis vix centum annos nuper natis; & non tantùm fidem tot ſæculorum falſam eſſe contendendum, ſed et ipſum Sapientiæ naturalis lumen in gratiam ipſorum extinguendum. Maximè cum nihil aliud faciant quam dicere, non credo: non invenio in ſa-

cris

cra scripturâ : quasi & lapis & lignum non credant, & hoc in sacrâ scriptura non inveniant.

Epilogus.

PAucis, ingens argumentum, pro concesso nobis à Deo talento tractavimus; absque vllo cuiquam succensendi consilio, vel aucupandæ popularis auræ ambitu. Si quid boni insit, Spiritui Dei acceptum ferimus, qui ubi vult spirat: si quid mali, nobis imputandum non detrectamus. Si quibusdam acerbior alicubi videatur stylus noster, cogitent non curari plerumque lenitivis graves morbos: nec in alio fortè àpleriſque bonæ mentis viris peccatum magis, quam ubi extremo tantum digito errores ostendisse, & mussando redarguisse satis habuerunt. Neque tamen ideo sperem plurimos vulgaris eruditionis homines in partes nostras concessuros, quod aliquos Peripate-

patetiſmi nævos detexerim. Et doctius & acutius & ſolertius ante me id præſtiterunt alij; & ſtat interim Schola Ariſtotelica: quoniam ſatis multis arridet loquax eruditio, paucis accepta eſt ſapientia. Ideoque tota Gergezenorum Civitas audito Chriſti Domini adventu, obviam proceſſit ei; non ut integram Cacodæmonum Legionem à ſe Divina ejus virtute expulſam gratularentur: ſed ut finibus ſuis Salvatorem mundi exeedere juberent, ne iterum gregis porcorum impendio Tenebrarum poteſtates ab illis arceret. Maximo n. terrore videndi apud ſe Filium Dei capti erant, qui Dæmonum Legiones in pectoribus Civium ſuorum inhabitantes parùm exhorruerant.

Si cordatis viris placuiſſe opellam iſtam noſtram adverterimus; Vniverſæ Phyſicæ Corpus Animæ à nobis delineatæ conſentaneum aptabimus, ac plurima Potentiæ arcana reſerabimus quibus & Corporis valetudini, & Mentis ſplen-

dori

dori ac Vitæ tranquillitati externæ consuli possit. Faxit Deus Optimus Maximus, ut creditum ab ipso nobis talentum, exacturo reddere cum aliquo fœnore possimus.

AMEN.

ERRATA.

PAg. 5 lin 9. illus leg. illius. p.7 l.12 potus le.potius.l.vlt.in marg.13.le.4. p.13.l.ult. Anemæ le. Animâ. p.15. l. 6. constituunt. le. constituerunt. p.16. l. 2.contractus le. contactus. p.19.l. 1. obijrit.le. obijcit.l.13.substantæ.le.substantiæ. p. 23.l. 19 speialiter le. specialiter. p 26.l.10.vuolerit le. voluerit. p. 18 l 6.hic.le. his. p.35. l. 10.a. le.à.p.44.l. pen.intereunt le.intereunt.p.46 l.1.le. Labyrintho.p. 49.l ult. inelligit le.intelligit.p.51. l 19.conventiculla.le.conventicula.p.53.l. antepen.supetta.le suspetta.p.57.l.20.Philosophiorum. le. Philisophorum. p.59.l. 24. Logicâ le. Logica. p. 60. 25. Peripatisni.le.Peripatetissmi. p. 72 l.25. Peripatisnus. le. Peripatetissmus.l.26.Sasapientiæ. le. Sapientiæ. p.73.l.9. sda. le.de.p.78.l.1. qui cultores le. cultores,qui p. 82. inTitul. Aristotel & Platon.le.Doctrina Anima.p. 84. l. 25. scripuræ le .scripturæ p. 86. l.ult. floverunt le.floruerunt.p.93.l.penult solitudinibus le. sollicitudinibus .p 94 l.1 sufficientes le.sufficientis p. 103. l. 17 qudem le.quidem p. 125.in si parte.le.per te.p. 129. l.1 ncc. le. nec.p.132.l. 5. quotide le. quotidie p: 143.l.22. ferementi le. fermenti .p.142 l.2. plebijs le. plebeijs.p.216.l.10.11.sepulrum. le. sepulchrum.

XUM